



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. I. De essentia Sacramenti,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

DISPUTATIO PRIMA.

DE ESSENTIA SACRAMENTI.

Ad questionem 60. Divi Thomae.

Explato Incarnationis Salvatoris nostri mysterio, de Sacramentis Ecclesiae convenienti ordine disputat S. Doctor, sunt enim Sacramenta, quaedam Divinae Incarnationis reliquiae

(ut ipse ait in prologo libri quarti sententiarum ad Annibaldum) instrumenta divinae gratiae, quae ipse Christus passione sua & morte nobis promeruit, septem columnae, manu sua sapientiae excelsae, quibus suffultum esse voluit totius Ecclesiae aedificium, scaturigines aquae spiritualis in vitam aeternam salientis, fontes denique Salvatoris ab Isaia Propheta praenuntiati, per quos celestis gratiae aquae continuo fluxu nobis communicantur. Quinque autem proponit discutienda de Sacramentis in communi, in prooemio hujus questionis, & ea prosequitur per quinque quaestiones, nimirum essentiam, necessitatem, sive existentiam, effectus, causas, & numerum. Merito autem praeposit quaestionem *quid est, quaestioni an est*, sive de necessitate, quia vix potest explicari necessitas & existentia sacramentorum, nisi distinctè cognoscatur quid natura sacramenti significet; explicando autem significatum hujus nominis *sacramentum*, essentia sacramenti declaratur necesse est, juxta ergo methodum S. Doctoris, quidditatem sacramenti in hac disputatione suscipimus explicandam, dicturi de aliis in sequentibus, ordine propolito.

Sed antequam ulterius progrediamur, sciendum est, hoc nomen *sacramentum*, aliter apud Gentiles Latinos, aliter apud Jurisperitos, aliter apud sacros Scriptores, & demum aliter in usu Patrum, Conciliorum, & Theologorum usurpari. Apud priscos Latinos, sumebatur olim pro pecuniâ quam litigantes apud summum Pontificem deponebant, ut qui causâ caderet, pro lite injuste suscepta, eâ pecuniâ multaretur, ut constat ex Varrone libro 4. de lingua Latina, & ex Cicerone orat. pro Milone. Apud Jurisperitos sacramentum dicitur quidquid iurijurandi sacratione interposita geritur, ut pater L. 2. C. si adversus venditionem, ubi dicitur: *Sacramenta puerâ sponte facta, inviolabiliter custodiantur*. In Scriptura verò Sacramentum frequentissimè accipitur pro occulto mentis secrete, seu mysterio: nam Tobia 12. ubi Græcè habetur: *Mysterium Regis abscondere bonum est*, in vulgata Latina sic legitur: *Sacramentum Regis abscondere bonum est*. Et ad Ephes. 1. ubi Græcè dicitur: *Ut notum faceret mysterium voluntatis suae*, notus interpres sic vertit: *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis suae*. Item ad Timoth. 3. *Mysterium incarnationis vocatur. Magnum pietatis sacramentum*. Denique sumitur hæc vox *sacramentum* apud Patres, Concilia, & Theologos, pro ipso signo rei sacræ. Unde Augustinus lib. 10. de civit. Dei cap. 15. *Sacramentum visibile invisibilis sacrificij Sacramentum, id est*

A sacram signum est. Et de sacramento sic accepto agimus in præsentī, ejusque essentiam seu quidditatem investigamus, quæ cum ex genere & differentia, sicut & quidditas cujuslibet alterius entis, componatur; ad perfectam ipsius intelligentiam sufficiet primò rationem ejus genericam, secundò differentiam ipsius essentialē explicare.

ARTICULUS PRIMVS.

An solum in genere signi, vel etiam in genere causæ, Sacramentum in communi debeat constitui?

Variè in hujus difficultatis resolutione opinantur Theologi, omnes tamen sententias ad tres præcipuas revocari posse existimo. Prima docet sacramentum esse tantum in genere signi, & non in genere causæ. Secunda e contra constituit illud solum in genere causæ, & non in genere signi. Tertia ad utrumque genus illud pertinere existimat. Primam sententiam tenent Soto, Nunno, Cabrera, Aravius, Serra, Joannes à S. Thoma, & alii ex nostris Thomistis. Secundam defendit Stephanus Bauni Tract. 1. qu. 4. Tertiæ adhærent ex nostris Melchior Cano, relect. de Sacram. & Martinez à Prado hic dubio 1. §. 3. & ex extraneis Cardinalis Delugo, disp. 1. sect. 2. concl. 2. & Aversa hic sect. 3. plusquam viginti Auctores referens pro hac sententia.

Verum, ut rectè observavit Martinez à Prado, horum Authorum dissensio nascitur ex æquivocatione terminorum, unde pro ejus resolutione, duo diligenter observanda sunt, ex quibus tota hujus difficultatis decisio pender. Primum est, aliquid posse dici sacramentum tripliciter, nempe formaliter, ut formam ipsam sanctitatis significativè, quia est sanctitatis signum, & effectivè, quia est sanctitatis instrumentum: quod exemplo sani explicat S. Thomas hic art. 1., aliquid enim potest dici sanum, vel formaliter à sanitate quæ est in animali, vel effectivè, à virtute causandæ aut conservandæ sanitatem, quæ virtus est in medicina, vel in dieta; vel significativè, in quantum est signum & indicium ipsius sanitatis, ut urina, vel pulsus. Secundum est, duplicem posse dari causam gratiæ, seu sanctitatis, unam strictam & rigorosam, qualis est sola causa efficiens physica; aliam latè & improprie sumptam, qualis est causa moraliter duntaxat operans. His præmissis, facilis erit resolutio difficultatis propositæ. Vnde sit

§. 1.

*Difficultas proposita, triplici conclusione
resolvitur.*

Dico primò: Sacramentum esse in genere signi. Ita D. Thomas hic art. 1. ubi hanc conclusionem non aliter probat, quam ex communi SS. Patrum & Theologorum usurpatione & consensu: cum enim (ut supra diximus) aliquid possit dici sacrum tribus modis, nempe formaliter, effectivè, & significativè; Theologi hanc ultimam acceptionem præcipue attendunt, & Sacramentum usurpant, prout signi sanctitatis habitudinem importat. Eodem modo accipitur & usurpatur à SS. Patribus, qui sæpè Sacramenta appellant symbola & signa, ut Dionysius lib. de cœlesti Hierarch. cap. 2. & 3. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, Damascenus lib. 4. de fide cap. 11. & Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 5. ubi (ut supra vidimus) hanc hujus nominis Sacramentum etymologiam adducit, *Sacramentum, id est sacrum signum.* Et Epist. 5. sic ait: *Longum est convenienter disputare de varietate signorum, quæ cum ad res sacras pertinent, Sacramenta appellantur.* Demùm S. Bernardus serm. de Cena Domini, docet Sacramentum esse sacrum signum.

Hæc ratio D. Thomæ magis est conclusio explicativa, quam demonstrativa; quia ut ait Suarez in commentario primi articuli, significatio vocum ex usu tantum probari potest, & quæstiones quæ sunt de quidditate vel essentiis rerum, nec tractari, nec expediri à nobis possunt, nisi vocum significatio ex communi modo loquendi supponatur.

2. Dico secundò: loquendo de causalitate strictè sumpta, pro causâ physica & efficiente instrumentali, Sacramentum ut sic, non est in genere causæ: bene tamen loquendo de causâ latè, hoc est de causâ efficiente moraliter, vel de causâ formali sacrativa. Ita Martinez à Prado loco supra citato.

3. Prima pars patet, Nam ratio generica debet reperiri in omnibus generis speciebus: Sed causare instrumentaliter physicè sanctitatem, non convenit omnibus Sacramentis, nam Sacramenta veteris legis erant vera Sacramenta, & tamen gratiam non causabant physicè, sed duntaxat moraliter: Ergo loquendo de causalitate strictè sumpta, seu de causalitate physica instrumentali, Sacramentum ut sic non est in genere causæ.

4. Secunda verò pars ratione oppositâ suadetur: Nam Sacramenta veteris legis moraliter saltem & improprie causabant gratiâ: Ergo loquendo de causâ sanctitatis latè & improprie, illa cõvenit omnibus Sacramentis, subindèq; Sacramentum ut sic, potest dici esse in genere causæ, loquendo de causâ latè & improprie. Antecedens verò constabit ex dicendis infra, cum agemus de causalitate Sacramentorum, & breviter hic suaderi potest. Sacramenta veteris legis erant signa & figuræ passionis Christi futuræ, cuius intuitu Deus gratiam in antiqua lege conferebat, ut committenter docent Theologi in Tract. de Incarnatione, & nos ibidem ostendimus: Sed à ratione signi vis excitativa moraliter inseparabilis est: Ergo Sacramenta veteris legis habebant vim moralem excitativam, quâ Deum movebant ad gratiam conferendam, licet non continerent vim instrumentalem productivam gratiæ, sicut Sacramenta novæ legis, idèdque vacua & egena

Disp. 21.
Art. 7.
§. 3.

A elementa ab Apostolo appellantur: ut dicemus infra, cum de circumcisione agemus.

Addo cum Martinez à Prado, quod licet loquendo de causalitate effectiva in communem, abstracta à propria & impropria, à physica & moralis, daretur illam omnibus Sacramentis convenire, loquendo tamen de causâ formaliter sacrativa, certum est illam cuilibet Sacramento competere, quia ut docet D. Thomas 2. quæst. 101 art. 4. Sacramenta consecrant facipientem. Unde quæst. 102 art. 5. sic habetur: *crascentia proprie dicuntur illa quæ adhibebantur in cultoribus ad quandam consecrationem, per quam licet deputabantur quodammodo ad cultum Dei, in hoc sensu docet in 4. sent. dist. 1. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. Sacramentum importare sanctitatem activè. Quod loquendo de causalitate effectiva propria, non semper est verum; loquendo tamen de causâ latè, pro causâ formaliter sacrativa, de omnibus verificatur, ut notat idem S. Doctor hic art. 1. ad 1.*

Confirmatur: Idem Doctor Angelicus lococitato ex primo libro sententiarum quæstione 1. approbat hanc definitionem Sacramenti tractatam à Magistro sententiarum: *Sacramentum est invisibilis gratia visibilis forma, ut imaginem gerat, & causa existat. Et quæstione 1. hanc etiam referent, probat Hugonis Victorini definitionem: Sacramentum est corporale, vel materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, & ex similitudine representans, & ex sanctificatione invisibilem gratiam continens.* Et ibid. quæst. 1. ad 5. sic ait: *Sacramentum simpliciter est quod causat sanctitatem, quod autem significat tantum, non est sacramentum nisi secundum quid, & idèd esse causam patitur in definitione Sacramenti.* Censet ergo S. Doctor aliquam causalitatem vel efficientem moralem, vel formalem sacrativam, esse de ratione Sacramenti, subindèque illud non solum in genere signi, sed etiam in genere causæ collocari debere.

Dico tertio: quamvis Sacramentum sit solum in genere signi & causæ, melius tamen & convenientius dicitur esse in genere signi, quam in genere causæ.

Hæc conclusio sequitur ex dictis in præcedentibus: Licet enim ratio signi, & ratio causæ, Sacramento in communi conveniat, ratio tamen signi est prior, & convenit omnibus Sacramentis cum prioritate & rigore; ratio verò causæ est posterior, saltem per rationem, & in rigore non convenit omnibus Sacramentis, sed improprie tantum & largè accepta, ut præcedenti conclusione declaravimus: Ergo Sacramentum melius & convenientius in genere signi, quam in genere causæ esse dicitur, & idèd D. Thomas hic art. 1. simpliciter & absolute asserit sacramentum poni in genere signi, quamvis in 4. sent. dist. 1. qu. 1. art. 1. ipsum in genere causæ & signi solum collocari docuisset, ut patet ex testimonio supra adductis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Si sacramentum in communi, esset formaliter in genere signi, vel naturalis, vel ad placitum? Non naturalis, quandoquidem ex quo constat, non significant naturaliter gratiam sanctificantem. Neque instrumentalis, live ad placitum, aliàs cum signum ad placitum, formaliter

ter sumptum, sit ens rationis, ut docent communiter Thomista, sacramentum dici posset ens rationis, quod tamen videtur absurdum.

Respondet Augustinus Bernal, disp. 1. de sacramentis sect. 1. nu. 50. Sacramentum pro formali non esse signum sanctitatis ad placitum, sed naturale: Sacramentum enim (inquit) pro formali dicit rationem signi pro formali: signum verò pro formali, non est signum ad placitum, sed naturale; quia signum pro formali dicit formam repræsentativam, quæ est impositio Reipublicæ, quæ ex se & intrinsecè repræsentat naturaliter.

Verum hæc responsio merum paradoxum est, si tenus in Scholis inauditum, & in terminis implicatorium: nam (ut rectè observavit Martinez à Prado) dicere signum ad placitum constitui per formam naturaliter repræsentantem, idem est ac asserere, quod forma lucidi, ut lucidum est, sunt tenebræ; & quod forma albi est nigredo, & calidi frigus. Adde quod sacramenta sunt signa sensibilia gratiæ: Sed nulla res sensibilis ex natura sua significat gratiam, siquidem est forma supernaturalis: Ergo necesse est quod hæc significatio ipsi ex beneplacito & libera Dei institutione superveniat, ut tandem ille Author num. 53. lateri cogitur.

Respondet secundo Suarez, negando signum ad placitum, in cuius genere sacramentum in communi collocatur, esse ens rationis, sive constitui formaliter per relationem rationis; existimant enim illud constitui formaliter per denominationem extrinsecam, peritam ab actu voluntatis, quo ad significandum deputatur, quæ denominationatio est realis.

Sed hæc responsio merito ab omnibus Thomistis rejicitur, cum enim signum ad placitum debeat formaliter constitui per respectum proportionaliter similem rationi per quam signum naturale constituitur formaliter; sicut ratio constitutiva signi naturalis, est relatio transcendentalis ad rem significatam, ita similiter id per quod signum ad placitum formaliter constituitur, non debet esse denominatio extrinseca, sed relatio, non realis, sed rationis, ad rem quam significat, fundata tamen in illa denominatione extrinseca, quæ redditur impositum, seu destinatum ad significandum.

Hæc ergo responsio relicta ut aliam & legitimam ex principis communis doctrinæ Thomistarum deducamus, recolendum est ex Dialectica, non esse idem illud per quod concretum accidentale constituitur formaliter, & illud pro quo supponit, constituitur enim formaliter per formam accidentalem, & tamen supponit pro materiali sive subiecto talis formæ, quia præcipuum quod in ipso reperitur, non est formale, sed materiale; ex quo fit id per quod formaliter constituitur tale concretum, non prædicari absolute de ipso, bene tamen illud quod importat de materiali; non enim verum est absolute dicere, album est accidens, cathedra est figura, bene tamen album est substantia, cathedra est lignum.

Quia ergo signa ad placitum, proindeque sacramenta, sunt concreta accidentalia importantia pro formali significationem, quæ ut diximus, est relatio rationis ad rem significatam, pro materiali verò aliquid reale & positivum, non est verum dicere absolute, signum ad placitum vel sacramentum est ens rationis; imò è contra, juxta regulam assignatam, est absolute dicendum, sacra-

mentum est ens reale, quia materiale pro quo supponit, est ens reale. Dixi tamen, absolute, quia cum addito verum est dicere, sacramentum est ens rationis, addendo scilicet, de formali. Ad argumentum ergo respondeo distinguendo sequelam: si signum, in cuius genere collocatur sacramentum, esset signum ad placitum, sacramentum dici posset ens rationis, absolute, negotium addito, scilicet de formali, concedo, & nego id esse absurdum.

Instabis: Si sacramentum esset ens rationis formaliter & essentialiter, non esset nisi dependenter ab operatione intellectus: Sed hoc nequit dici, sacramenta enim sunt permanentes in Ecclesia, supposita Christi institutione: Ergo, &c. Major probatur, quia totum esse entis rationis est obiecti intellectui.

Respondent aliqui esse quædam entia rationis quæ sunt actu hoc ipso quod ponitur fundamentum ipsorum & terminus; & in hoc genere esse significationis relationem, per quam sacramenta constituuntur formaliter, sicque sacramenta esse permanentes in Ecclesia, independentes ab intellectu.

Sed contra: Essentialis differentia inter ens reale & rationis in eo consistit, quod illud habet esse independentem ab intellectu apprehensione, istud verò ita dependet ab intellectu, sicut radius dependet ab actuali influxu Solis. Adde quod, per ens reale intelligitur illud omne quod non habet esse fictum: quod autem seclusa intellectu operatione ponitur in esse non potest dici fictum, cum fictio sit opus intellectus. Unde hæc responsio relicta.

Dicendum, quod quia sacramentum supponit pro materiali, non verò pro formali, absolute & sine addito verum est, sacramenta esse nullo cogitante intellectu: quod si fiat restrictio, & sit sermo de sacramentis quoad essentialem & formalem rationem, certum est illa non esse actu seclusa operatione intellectus, sed solum fundamentaliter proximè, supposita institutione. Veruntamen quia illud quod parum distat ab esse, quasi censetur esse, hoc ipso quod ponitur proximum fundamentum relationis rationis, quia parum distat ab esse, censetur quasi esse moraliter, & subiectum sive materiale ipsius, idem præstat acti de facto eam haberet. Sic voces & scripturæ deserviunt ad cognitionem rerum ad quas repræsentandas sunt deputatæ, quamvis actu non habeant, sed solum in fundamento proximo, actualem significationem, quæ consistit in relatione rationis ad rem signatam.

Obijcies secundo contra secundam conclusionem: Idem non potest pertinere ad duo genera primò diversa: Sed genus signi & genus causæ sunt primò diversa, cum signum ad placitum sit aliquid rationis, & virtus activā quæ aliquid potens ad causandum constituitur, sit qualitas, vel ad genus qualitatis reducat: Ergo sacramentum non potest simul esse in genere signi & in genere causæ.

Respondeo primò distinguendo Minorem: genus signi, & genus causæ physice, sunt primò diversa, concedo Minorem. Genus signi & genus causæ moralis, nego Minorem; nam ut supra dicebamus, cum vis moraliter & extrinsecè excitativa à ratione signi inseparabilis sit, signum ad rationem causæ moraliter excitantis reducitur. Unde hoc argumentum solum probat sacramentum non posse simul in genere signi & causæ physice.

physicæ collocari, non tamen convincit illud nõ posse simul ad genus signi & causæ moralis, sive abstrahentis à morali & physica pertinere.

- 19 Respondeo secundò, quod quamvis totum physicum & naturale non possit ad diversa genera non subalternatim posita pertinere, bene tamen totum morale & artificiale, quale est sacramentum, nam in totis moralibus & artificialibus concurrunt res diversorum generum, quæ tamen faciunt unum per se, quia se habent ordine quodam.

- 20 Obijcies tertio contra tertiam conclusionem: Illud magis pertinet ad quidditatem & rationem genericam sacramenti, quod est in eo perfectius: Sed esse causam gratiæ est quid perfectius quam esse signum illius: Ergo esse causam gratiæ est potius de essentia & ratione generica sacramenti, quam esse signum illius, subindeq; melius & convenientius ponitur sacramentum in genere causæ, quam in genere signi.

- 21 Respondeo primò negando Majorem, in iusto enim gratia est id quod perfectius est, cum nulla res creata eam in perfectione adæquare possit, & tamen non constituitur essentialiter per gratiam, cum sit ejus accidens.

Respondeo secundò, quod licet causare sit perfectius materialiter in sacramento, quam significare, tamen significare est formaliter quid nobilius, quia perfectio & nobilitas mediis formaliter desumitur ex perfectione finis per se primò intenti: finis autem primò & immediatè ad sacramentorum significationem intentus, est nobilior sine intento ad causalitatem, nam causalitas, cum sit medicativa, per se primò & immediatè tendit ad salutem nostram; significatio verò ad honorem & reverentiam Dei.

§. III.

Corollaria precedentis doctrinæ

- 22 **E**X dictis inferes primò: Sacramentum ut sic rectè dici posse signum practicum gratiæ, si ly practicum denotet causalitatem impropiam & imperfectam, atque abstrahentem à causalitate physica & morali: secus verò si per ly practicum, vera & propria causalitas, seu efficientia physica intelligatur. Patet hoc corollarium ex dictis conclusionibus 2. ibi enim ostendimus, omnibus sacramentis, etiam veteris legis, causalitatem quandam, impropiam saltem & metaphoricam, competere, quamvis si de causalitate stricta & rigorosa loquamur, seu de vera & reali efficientia, sola novæ legis sacramenta sint in genere causæ: unde cum ratio signi practici ex causalitate delumatur, idem cum proportionem de illa dicendum est.

- 23 Inferes secundò: quod si rationem formalem adæquatam sacramenti consideremus, sacramenta veteris & novæ legis analogicè tantum in ratione sacramenti conveniunt: si vero ejus rationem formalem in adæquatam attendamus, possunt aliquoties in ratione sacramenti univocari.

Prima pars ex suprà dictis colligitur, Nam rationem formalem sacramenti in ratione signi & in ratione causæ adæquatè consistere, conclusione 2. ostendimus: Sed in ratione causæ sacramenta veteris & novæ legis analogantur, cum sacramenta vetera improprie duntaxat & metaphoricè causarent gratiam & animæ sanctitatem; sacramenta verò novæ legis eam verè, propriè, & reali ac physica efficientiā illam attingant, ut

infra ostendemus: Ergo sacramenta veteris & novæ legis analogicè tantum conveniunt in ratione formali sacramenti, completè & adæquatè sumpta. Unde D. Thomas in 4. d. 1. q. 1. art. 1. quæstionem 3. ad 5. *Sacramentum non dicitur per sacramenta veteris & novæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suis partibus.*

Secunda verò pars suadetur: Ratio sacramenti in adæquatè sumpta in significatione gratiæ consistit: Sed in ratione signi gratiæ sacramenta veteris & novæ legis univocantur; quamvis & nim sacramenta novæ legis perfectiori modo significant gratiam, quam sacramenta veteris, hæc tamen inæqualitas, quia non se tenet ex parte differentiarum, non tollit univocationem & cor à simili illam non impedit inæqualitas, quæ homo & equus rationem animalis participant. Addo, quod sicut religio verus & novæ univocè conveniunt in ratione religionis; ita & sacramenta quæ talium religionum sunt symbola & veluti columnæ, ac exteriores protestationes, debent univocè, saltem ut sunt rei sacre signa, convenire.

Dices, Nullus terminus potest univocè predicari de figura & re figurata: Atqui sacramenta vetera erant figuræ nostrorum, juxta illud 1. ad Corinth. 10. *Omnia illa in figuris contingebant.* Ergo ratio sacramenti, etiam in adæquatè considerata, de illis univocè enuntiari non potest.

Respondeo distinguendo Majorem: si figuræ nihil habeat aliud significare, quam rem illam significatam, ad quam subinde primariò & principaliter ordinetur, concedo. Si secundariò tantum illam significet, & ad aliud primariò & principaliter significandum ordinetur, nego. Sic enim quando ad similitudinem unius imaginis representantis Cæsarem, depingitur alia imago, quamvis ista secunda imago sit figura prioris, quia tamen secundariò tantum ad illam representandam ordinatur, primariò verò & principaliter representat Cæsarem, dicitur univocè convenire cum priori imagine. Ita quia sacramenta vetera primariò & principaliter significant gratiam, & non nisi secundariò sacramenta nostra, univocè cum nostris in ratione sacramenti in adæquatè sumpti conveniebant.

ARTICULUS II.

Cuius rei sacra sacramentum sit signum?

Explicata ratione generica sacramenti, investigamus ejus differentiam specificam, quæ in signo non aliunde quam ex re significata desumitur, unde inquirimus cuius rei sacra sacramentum sit signum?

In cuius difficultatis resolutione, relicto Hæreticorum errore, qui censent sacramentum esse signum divinæ benevolentiae & prædestinationis, cujus falsitas ex eo manifestè constat, quod non solum prædestinati, sed etiam reprobi, verè suscipiunt sacramenta, ut patet in Juda, qui sacramentum Eucharistiæ in cena Domipica suscepit, & postea laqueo se suspendit. Relictò quoque, hoc errore, sunt quidam inter Catholicos, qui existimant, ad rationem sacramenti non requiri esse signum rei sacre, per se & sanctificantis, qualis est gratia, sed sufficere significatam &

enfare imperfectam & legalem sanctificationem, quia per sacramenta veteris legis homines sanctificabantur. Ita docent Melchior Cano 1. p. tele-
 ctionis de sacramentis in genere. Bellarminus
 tomo 3. lib. 1. de sacramentis propositione 2. di-
 centes sacramenta veteris legis non idcirco sacramenta sunt,
 quia significant gratiam justificantem, sed quia signifi-
 cant & efficiunt gratiam legalem. Hos sequuntur
 Calpenius disp. 1. sect. 3. Aversa hic qu. 60. sect. 2.
 & Philippus à S. Trinitate disp. 1. dubio 2. Alii
 vero asserunt, de ratione quidem sacramenti ef-
 fectum significare rem sacram perfectam & sanctifican-
 tem, qualis est gratia, non tamen in actuali usu
 sacramenti conferendam suscipienti sacramen-
 tum, sed satis esse quod significet gratiam dan-
 dam aliquo tempore. Ita Soto, Suárez, Valquez,
 & Martínez à Prado.

§. I.

Duplici conclusione difficultas proposita
resolvitur.

Deo primò: de ratione sacramenti esse signi-
 ficare perfectam sanctitatem quæ est per
 gratiam.

Probatur primò auctoritate D. Augustini 19.
 contra Faustum cap. 16. dicentis sacramentum
 esse donum temporale, significare verò donum
 æternum: nomine enim doni æterni nequit in-
 telligi sanctitas solum legalis, utpote temporalis.
 Item auctoritate Concilii Tridentini appro-
 bantis sess. 13. cap. 3. dictum istud de sacramentis
 in communi: *Sacramentum est invisibilis gratie visi-
 bilis forma*, quod ex Magistro sententiarum in 4.
 dist. 1. sumptum est. Præterea ex D. Thoma hic
 art. 2. ad 3. asserente ea solum esse sacramenta,
 quæ significant perfectionem sanctitatis huma-
 næ, non verò quæ significant dispositionem ad
 illam.

Probatur secundo: Docent communiter
 Theologi non posse verum sacramentum insti-
 tutum nisi à solo Deo, vel ex speciali commissione i-
 plius, quia nimirum sacramentum debet esse si-
 gnum gratiæ conferendæ, & solus Deus, sicut
 potest esse author gratiæ, ita & tale signum insti-
 tuere: Atqui si ad rationem sacramenti sufficeret
 significatio cujuslibet sanctitatis imperfectæ, si-
 cut potest Ecclesia, propria auctoritate cæremoni-
 as instituere, quæ conferant & significant hu-
 manam sanctitatem, ita posset propria auctori-
 tate sacramenta instituere: Ergo ad rationem sa-
 cramenti non sufficit significatio sanctitatis im-
 perfectæ, sed requiritur significatio sanctitatis
 perfectæ, quæ est per gratiam.

Probatur tertio: Ad rationem sacramenti ut
 sic, requiritur significatio illius sanctitatis quæ
 distinguit ipsum ab omnibus quæ non sunt sa-
 cramenta: Sed sanctitas legalis & imperfecta non
 distinguit sacramentum ab omnibus quæ non
 sunt sacramenta: Ergo ad rationem sacramenti
 ut sic, non sufficit significatio sanctitatis imper-
 fectæ. Major constat, de ratione enim differen-
 tiæ essentialis sacramenti, quæ est significare rem
 sacram, est quod ipsum distinguat ab omnibus
 aliis quæ non sunt sacramenta. Minor verò pro-
 batur ex eo quod in lege veteri multæ erant cære-
 moniæ, quæ imperfectam & legalem sanctifi-
 cationem causabant & significabant, ut colligitur
 ex illo ad Hebræos 9. *Solummodo in cibis, & potu-
 bus, & variis baptisimatibus & iussibus carnis, & cære-*

Tomo V.

A nemo dicit omnes illas cæremonias, ablutiones,
 & iustitias carnis fuisse sacramenta. Item in lege
 gratiæ, prima tonsura est cæremonia sacra, per
 quam homo incipit dicari cultui divino, quæ
 proinde aliquam sanctitatem confert & signifi-
 cat, & tamen non est sacramentum. Aqua lustralis
 est etiam cæremonia sacra, aliquam homini cui
 applicatur conferens sanctitatem, in quantum
 delet peccata venialia. Per signum crucis, & ma-
 nuum impositionem, confertur cathecumenis,
 subindeque significatur aliqua sanctificatio im-
 perfecta; & tamen neque aqua lustralis, neq. si-
 gnum crucis, neq. illa manuum impositio, sunt
 sacramenta, sed solum dicuntur sacramentalia:
 Ergo non quæcumq. sanctitas, etiam homini in-
 trinseca, multò minù extrinseca, sed solum san-
 ctitas perfecta quæ habetur per gratiam, est dis-
 cretiva sacramenti ut sic, ab omnibus quæ non
 sunt sacramenta.

Si dicas illa tria aliunde deficere à ratione sa-
 cramenti, ex eo nêpe quod sint cæremoniæ, non
 à Deo, sed à Ecclesia propria auctoritate insti-
 tutæ. Contra est, quod in præcedenti probatione
 dicebamus, nempe quod si ad rationem sacra-
 menti sufficeret significatio cujuslibet sanctita-
 tis imperfectæ, sicut potest Ecclesia propria au-
 thoritate cæremonias instituere quæ conferant
 & significant huiusmodi sanctitatem, ita posset
 propria auctoritate sacramenta instituere, & idẽ
 cum proportionem dicendum est de Synagoga.

Deniq. suaderi potest conclusio: Sacramenta
 novæ & veteris legis ejusdem rationis sunt, & u-
 nivocè conveniunt in ratione signi rei sacre, ut
 articulo præced. ostentum est: At hoc falsum est,
 si ad ista sufficeret significare sanctitatem le-
 galem & imperfectam, & non ad nostram: Ergo,
 &c. Sequela Minoris patet, sanctitas enim legalis
 æquivocè, vel ad summum analogicè, dicitur san-
 ctitas, comparata ad sanctitatem perfectam, quæ
 per gratiam justificantem confertur: sanctitas e-
 nim perfecta, in immunitate à peccato, & c. & di-
 tudine voluntatis consistit; sanctitas verò legalis
 non reddebat hominem verè & intrinsecè san-
 ctum, seu purum à peccato, sed tantum consti-
 tuebat talem, ut alii possent licitè & sine legis
 transgressionem conversari cum eo. Unde in vete-
 ri lege mulier alienigena, seu non ex semine Isra-
 èl progenita, quantumvis ex se sancta & recta
 coram Deo, erat tamen immunda legaliter, quia
 non licebat per legem viro Israëlitarum eam uxorem
 habere: contra verò mulier Judæa origine, licet
 in se fuisset peccato inquinata, erat legaliter san-
 cta, quia licebat viro Judæo eam ducere in ux-
 orem. Ex quo fiebat, quod si aliquando Israëlitarum
 ducerent in uxores alienigenas, filii ex talibus
 conjugis orti, erant immundi immundicia lega-
 li, quantumvis fortè fuissent à peccatis propriis
 expiati, & in se puri & sancti, quia non licebat pa-
 rentibus Judæis eos retinere, sed jubebantur le-
 ge eos rejicere, & à se separare, ut colligitur ex li-
 bro 1. Esdræ c. 10. ubi jubetur Judæi de captivita-
 te Babylonica reversi, amovere à se omnes mu-
 lieres alienigenas, & filios quos ex eis susceperat,
 ut legaliter immundos. Similiter sacerdos, qui e-
 tiam nullâ suâ culpâ incididerat in cadaver, & il-
 lud tetigerat, fiebat immundus legaliter, quam-
 vis maneret intrinsecè sanctus coram Deo, quia
 nimirum non licebat cum eo communicare, do-
 nec purificatus esset legaliter. Item mulieres, etsi
 in partu non peccassent, post partum manebant
 immundæ per quadraginta vel per octoginta dies
 quia

B 2

quia ipsis non licebat adire templum. Quare Apostolus ad Hebræos 9. sanctitatem legalem vocat emundationem carnis, quia est externa, & sanctitatem animæ, quæ est per gratiam, emundationem conscientie, quia est sanctitas interior, ut ib. le. c. 3. & 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 4. & qu. 103. art. 2. observat S. Thomas: Ergo si sacramenta veteris legis sanctitatem duntaxat legalem significabant & conferebant, non poterant univocè convenire in ratione signi rei sacræ cum sacramentis novæ legis, quæ perfectam animæ sanctitatem tribuunt.

Dico secundo: de ratione sacramenti est significare perfectam sanctitatem, in actuali usu & susceptione sacramenti conferendam.

39 Probatur primò ex D. Thoma hic art. 2. docente, quod sacramentum est signum rei sacræ, inquantum est sanctificans homines, nempe suscipientes sacramentum, ut colligitur ex solut. ad 2. Ergo censet de ratione sacramenti esse quod significet perfectam sanctitatem in actuali usu & susceptione sacramenti conferendam. Unde in 4. dist. 1. qu. 1. art. 1. quæstione 1. ad 3. docet serpentem æneum à Moysè in deserto jussu Dei elevatum, non fuisse sacramentum, & rationem assignat dicens: *Quamvis serpens æneus esset signum rei sacræ, non tamen inquantum sacrans est actus: quia non ad hoc adhibebatur, ut aliquis sanctificationis effectus perciperetur.*

30 Probatur secundo ratione quam adducit Serra hic art. 2. dubio unico: Si ad rationem sacramenti sufficeret significare gratiam, non quæ confertur in ejus usu, sed quæ conferenda erat per passionem Christi in lege Evangelica, sequeretur omnia sacrificia legis veteris fuisse sacramenta, significabant enim gratiam dandam per Christum & ejus passionem in lege Evangelica, ut docet D. Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 9. Sed hoc falsum est, ut colligitur ex D. Thoma 1. 2. qu. 101. art. 4. ad 2. Ergo de ratione sacramenti est significare perfectam sanctitatem actuali usu datam suscipienti sacramentum. Idem argumentum fieri potest de caeremoniis omnibus legis Mosaicæ, omnes enim significabant Christum, & gratiam per eum dandam, tanquam umbræ futurorum. Idem dicendum de matrimonio, tam in lege naturæ, quam Mosaicæ, significabat enim conjunctionem Christi cum Ecclesia, & consequenter gratiam per Christum dandam, & tamen non erat sacramentum propriè dictum: Ergo ad rationem sacramenti non sufficit significare gratiam de futuro conferendam, sed requiritur quod illam ut datam in actuali usu suscipienti sacramentum significet.

31 Probatur tertio: De ratione sacramenti est, quod sit signum practicum gratiæ, ut articulo præcedenti ostensum est: Sed non posset dici propriè signum practicum gratiæ, si eam non significaret ut dandam in actuali usu suscipienti sacramentum: Ergo illam ut sic dandam significat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

32 Obijciens primò contra primam conclusionem: Ad rationem sacramentorum veteris legis sufficiebat sanctitatem legalem atque adeò imperfectam, significare: Ergo & ad rationem sacramenti ut sic. Consequentia est legitima, sacramenta enim legis antiquæ fuerunt vera sacramenta: illud autem quod sufficit ad rationem sacramenti veri in specie, est etiam sufficiens ad sacramen-

tum in genere. Antecedens verò probatur ad rationem sacramenti sufficit significare sanctitatem, quæ est propria statui in quo datur. Atqui sanctitas propria statui legis Mosaicæ, est solùm legalis, carnea, & quasi umbra veteris sanctificationis, quæ sit per gratiam: Ergo ad rationem sacramentorum veteris legis, sufficiebat sanctitatem legalem significare.

Confirmatur: De ratione sacramenti, cum sit signum practicum, solùm est significare sanctitatem quam conferre potest: Sed sacramenta veteris legis perfectam sanctitatem quæ est per gratiam conferre non poterant, hoc enim est proprium sacramentorum novæ legis: Ergo eam non significabant, sed tantum sanctitatem legalem & imperfectam.

Ad objectionem respondeo negando Antecedens, & ad ejus probationem, distinguendo Majorem. Ad rationem sacramenti sufficit significare illam sanctitatem quæ est propria statui pro quo datur, si talis sanctitas non ordinatur tanquam dispositio ad aliam majorem sanctitatem, etiam in illo statu acquirendam, sed sit sanctitas finalis illius status, concedo Majorem. Si ordinatur tanquam dispositio ad aliam sanctitatem magis perfectam, pertinentem etiam ad illum statum tanquam finem; licet non ei proprium, nec ex vi ipsius acquirendum, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: sanctitas legalis erat statui legis Mosaicæ propria, & non ordinata ad sanctitatem magis perfectam, qualis est interna per gratiam, nego Minorem. Erat ordinata ad sanctitatem magis perfectam, tanquam disponens ad ipsam, concedo Minorem, & nego Consequentiam, nam ut hic art. 2. ad 3. dicit D. Thomas: *Res denominatur à fine & complemento, ac proinde signum rei sacræ, seu sacramentum legis antiquæ, à sanctitate quæ est finis & complementum ipsius, non verò ab ea præcisè quæ est dispositio ad ipsam.*

Ad confirmationem nego Majorem: Ad rationem enim signi practici gratiæ sufficit quod significet perfectam sanctitatem quam virtute propriâ confert, aut quæ in actuali ejus usu confertur: licet autem sacramenta veteris legis non haberent vim physicè productivam gratiæ, sicut sacramenta novæ legis, tamen Deum moraliter movebant & excitabant ad eam dandam tunc suscipientibus, subindeque in actuali eorum usu gratia conferebatur; atque adeo erant signa practica gratiæ, & perfectæ sanctitatis.

Contra secundam conclusionem obijciunt primò: Concilium Florentinum, in Decreto unionis definit sacramenta veteris legis non casualiter gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurasse: in quo decreto notanda est particula *solùm*, quæ videtur designare solam aliam gratiam per illa sacramenta fuisse significatam, nisi eam quæ per Christi passionem in statu legis Evangelicæ conferenda erat: Ergo non est de ratione sacramenti ut sic, significare gratiam ut præsentem.

Secundò, D. Thomas in præfati art. 2. ad 1. asserit sanctitatem in sacramentis significari per modum causæ formalis, vel finalis: ex quo sequitur non esse necessarium in sacramento sanctitatem significari per modum causæ formalis, sed sufficere quod significetur per modum causæ finalis: At gratia quæ in actuali usu sacramenti confertur, significatur per modum causæ formalis, utpote cum actu & formaliter sanctificet: ergo in doctrina D. Thomæ, non est de ratione in-

infecta sacramenti absolute sumpti, significare gratiam quæ in ipso detur, sed sufficit quod significet gratiam aliquo tempore dandam.

38 Tercio, in resp. ad 2. ex eo probat immolationem agni paschalis fuisse sacramentum, quia significabat immolationem Christi, quæ (inquit) sanctificati sumus. Sed sanctitas illa quæ sanctificati sumus, non erat illa quæ sanctificabantur Judæi in usu actuali talis sacramenti. Ergo &c.

39 Quarto, Gratia interdum non confertur in ipso actuali usu & receptione sacramenti, ut patet in adulto, qui fidei, hoc est cum affectu ad peccatum mortale, recipit sacramentum baptismatis, habens tamen intentionem ipsam verè recipiendi: Ergo non est de ratione intrinseca sacramenti, significare gratiam, in ipso actuali usu ipsius recipiendam.

40 Respondeo ad primum, per gratiam dandam virtute passionis Christi, intellexisse Concilium, gratiam dandam tunc in ipso actuali usu sacramenti legis veteris, non verò gratiam dandam solum post passionem Christi; particula enim solum, non excludit præsentiam ipsius gratiæ, sed solum vim effectivam ipsius à sacramentis legis veteris.

41 Ad secundum respondeo sensum verborum D. Thomæ esse quod sanctitas significetur in sacramentis, vel per modum causæ formalis in ordine ad illum qui sacramentum suscipit, vel per modum causæ finalis, in ordine ad legem antiquam, respectu cuius gratia est finis, unde obiectio solùm concludit sufficere ad rationem sacramenti, quod significet sanctitatem in genere causæ finalis, si consideretur præcisè per ordinem ad legem, sed cum hoc fiat, quod si simul per ordinem ad alium (scilicet ad illum qui recipit sacramentum) attendatur, debeat significare eandem sanctitatem in genere causæ formalis, atque adeò ut præsentem.

42 Ad tertium dicendum illa verba D. Thomæ, quæ sanctificati sumus, esse referenda non solum ad eos qui post Christi passionem nati sumus, sed etiam ad alios omnes homines, qui adventum Christi præcesserunt, quia illi etiam virtute immolationis, seu passionis Christi, sanctificati sunt.

43 Ad quartum respondeo, quod cum dicimus de ratione sacramenti esse quod significet gratiam in actuali susceptione ejus conferendam, hoc debet intelligi solum per se loquendo, & quando suscipiens sacramentum, est in actuali usu ipsius sufficienter dispositus ex parte sua ad perfectam animæ suæ sanctificationem; fateatur enim quod si ratione indispositionis gratiam non recipiat, sacramentum illam non significat præsentem, sed hoc per accidens se habet, & ex defectu subiecti, non vero ipsius sacramenti, siue significationis ejus; sicut per accidens se habet ad nostra sacramenta, quod interdum ob eundem defectum non causent gratiam in suo subiecto, quam ex se valent producere.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

44 EX dictis intelliges, sacramentum sic rectè definiti: sacramentum est signum ad placitum rei sacre, per quod sanctificantur homines; nomine rei sacre intelligendo gratiam habitualem, ut collatam in actuali usu sacramenti; nomine verò signi intelligendo signum à Deo in Ecclesia permanentem

A institutum: cum enim sacramenta sint signa quibus in unum nomen religionis colligantur homines, sicut religio stabilis est & permanens, ita & illa signa stabilia esse debent. Unde Exodi 12. & alii sæpe, sacramenta veteris legis dicuntur ritu perpetuo servanda, & 1. ad Corinth. 11. ritum illum quo mortem Domini in Eucharistia commemoratur, usque ad diem iudicii duraturum asserit Apostolus. Addo probabilem esse opinionem multorum asserentium quod quando Christus Joan. 20. insufflavimus in Apostolos, dicens eis, Accipite Spiritum Sanctum, hæc cæremonia sensibilis fuit instrumentum quo Apostoli acceperunt gratiam, & Spiritum Sanctum. Idem

B putant aliqui dicendum de cæremonia illa qua Christus lavit pedes Discipulorum, nempe quod per eam sanctificavit Apostolos; & tamen cæremonia illas sensibiles quæ Apostolos sanctificaverunt, non fuisse novæ legis sacramenta certum & indubitatum est apud omnes; alioquin dicendum esset Christum instituisse non tantum septem, sed octo vel novem sacramenta novæ legis, quod nemo dixerit. Cum ergo cæremoniis illis & signis sensibilibus gratiæ, & perfectæ sanctitatis, hoc tantum defuerit, quod à Christo, ut permanerent in Ecclesia instituta non sunt, dicendum est ut aliquid verum sacramentum dicatur, requiri quod sit stabiliter & permanentiter in Ecclesia institutum, ut scilicet sacramenta sint conformia religioni, quæ stabilis & permanens est.

C Ex quo facile intelliges, cur hæc Christi verba ad Magdalenam, Remittuntur tibi peccata tua, non fuerint verum sacramentum, quia nempe licet significarent gratiam actu collatam Magdalene, non erant tamen aliquid permanentiter institutum à Christo, ad hoc significandum in Ecclesia fidelium.

ARTICULUS III.

An sacramentum sit signum unitus rei tantum?

Dico primò: Sacramentum ut sic significare tria, scilicet passionem Christi, gratiam, & gloriam. Ita D. Thomas hic art. 3.

Probat eus ratione: Sacramentum est essentialiter signum gratiæ sanctificantis homines: 45 Ergo etiam passionis Christi, & gloriæ. Consequentia patet, nam gratia sanctificans dicit habitudinem ad passionem Christi, tanquam ad causam efficientem physicè, vel moraliter, & ad gloriam tanquam ad finem: Ergo hoc ipso quod sacramentum significat gratiam, significat etiam passionem Christi, & gloriam.

Confirmatur: Sacramentum non significat utrumque gratiam, sed ut medicinale, & sanativam: gratia autem, ut talis, respicit passionem Christi tanquam causam efficientem, & gloriam tanquam finem, quia omne naturæ lapsæ remedium est ex passione Christi, & in vitam æternam ut in finem ordinatur, eò quod vulnus naturæ consistat præcipuè in carentia mediorum ad eam ordinantium.

Ex quibus intelliges, verum esse quod ait D. Thomas in fine corporis ejusdem articuli, nimirum sacramenta novæ legis esse signa rememorative, demonstrative & prognostica: rememorative ejus quod præcessit, scilicet passionis Christi, 46

sti, demonstrativa ejus quod in nobis efficitur per passionem Christi, scilicet gratiæ; prognostica verò illius quod in futurum expectatur, scilicet gloriæ, ut idem S. Doctor de sacramento Eucharistiæ asserit in officio quod de illo iussu Urbani IV. edidit, his verbis: *O sacrum convivium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & future gloriæ nobis pignus datur.* Et in hoc differunt sacramenta novæ legis à sacramentis legis antiquæ, ista enim erant tantum demonstrativa & prognostica, non vero remota orativa; significabant enim gratiam, quæ ad præsentiam ipsorum conferebatur per passionem Christi nondum existentem, sed futuram, subindeque erant prognostica nedum gloriæ, ut sacramenta novæ legis, sed etiam ipsius passionis Christi.

Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, sed est difficultas & controversia inter Theologos, an sit de essentia sacramenti hæc tria significare, aliis positivam, aliis negativam tenentibus, sed breviter respondeo &

Dico secundò: Licet non sit de intrinseca ratione sacramenti ut sic, prout abstrahit à sacramentis existentibus & possibilibus, hæc tria significare, intrinsecè tamen id convenire sacramentis jam institutis.

48 Prima pars probatur primò ex D. Thoma hic art. 3. ad 3. sic dicente: *Sufficit ad rationem sacramenti quod significet perfectionem quæ est forma, quam in corpore articuli gratiam esse dixerat.*

Secundò, Sicut Deus potest absolute conferre gratiam non ex meritis Christi, ita posset absolute instituire sacramenta, quæ solum significarent gratiam dandam in usu ipsorum immediate ab illo, absq; ordine ad passionem Christi. Ergo non est de intrinseca ratione sacramenti, hæc tria nimirum passionem Christi, gratiam, & gloriam significare.

49 Quod verò sacramentis jam à Deo institutis, id intrinsecè conveniat, patet ratione: quàm supra adduximus: Sacramenta enim à Deo in lege veteri aut nova instituta, non significant utcumque gratiam, sed ut medicinalem & sanativam: Atqui gratia ut talis respicit passionem Christi ut causam efficientem, & gloriam ut finem & consummationem: Ergo de ratione sacramenti est significare hæc tria, nimirum passionem Christi, gratiam, & gloriam.

50 Confirmatur: De ratione sacramenti à Deo instituti est significare gratiam eo modo quo confertur: Sed confertur per meritum passionis Christi, & in ordine ad gloriam: Ergo de ratione sacramenti à Deo instituti est significare passionem Christi, gratiam, & gloriam.

51 Confirmatur ampliùs: Distinctio essentialis sacramentorum veteris & novæ legis, desumitur ex eo quod est essentialis eorum significatio: Sed sacramenta veteris & novæ legis distinguuntur in eo quod illa significabant gratiam conferendam per merita Christi venturi, ista verò per merita Christi præsentis: Ergo est essentialis sacramentis à Deo institutis significare Christum merentem, ac proinde patientem.

52 Dices: Cum sacramenta veteris legis januam regni cælestis non aperirent, quia scilicet ante Christi mortem, nulli patebat ingressus in regnum cælorum, non significabant gloriam ut futuram: ex sacramentis verò novæ legis, licet aliqua significent Christi mortem; puta Baptismus

A & Eucharistia, non videtur tamen quomodo Penitentia, Ordo, & Matrimonium, cum regnum sequi quod non significabant gloriam virtute eorum futuram, sed tantum virtute mentium Christi venturi. Et certe quod agnus pacis illis significaret præter passionem Christi, gratiam, & gloriam, manifestum ex eo est quod eorum memorativus liberationis populi Israelitici à Egypto ut iret in terram promissionis: hæc enim duo significant gratiam liberantem à peccato, & ademptionem gloriæ, ejus terra promissionis erat figura. Item in circumcissione ablati pelliculæ membri genitalis, significabat remissionem culpe originalis, quæ per generationem traducitur, nec non circumcissionem labii futuram in gloria, & sanguis effusus in illa scissione, passionem Christi Domini.

Quantum verò ad sacramenta legis novæ, non solum Baptismus & Eucharistia, sed etiam alia gratiam sanctificantem, passionem Christi futuram gloriam repræsentant: etenim sacramenta quæ in oleo ministrantur, videlicet Confirmatio, & Extrema Unctio, significant primò unctiorem spirituales quæ Christus Psalm. 44. & ad Hebræos 11. dicitur unctus, quæsi forma athleta cum diabolo, & cum morte in crucem pugnaturus; secundo unctiorem spirituales animæ, quæ sit per gratiam; tertio spirituales gloriæ exultationem, eò quod oleum in Scipione gaudium significet, Matth. 6. *Cum jejunas unge te cum oleo.* & Psalm. 103. *Vi exultabit faciem meam.*

C Item in sacramento penitentiae contritio significat dolores & tormenta quibus Christus auctus est propter scelera nostra; propositum vitæ emendandæ significat renovationem vitæ, quæ sit per gratiam; absolutio verò à peccatis, cum habitu throni clavium, apertionem regni cælestis designat, juxta illud Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit solutum & in cælis.* Præterea in sacramento Ordinis, cum ordinatus ad participationem sacerdotii Christi assumatur, significatur tale sacerdotium, proindeque & sacrificium quo Christus ipse se in ara crucis Patri æterno obtulit, Rursus cum tale sacramentum consecratione perficiatur, significat spirituales consecrationem animæ, quæ sit media gratiæ, imò & gloriam, quæ beati perfecte consecrantur, ut ceterant Deo hostias spirituales ipsi placentes, juxta illud Apocal. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes.* Denique in sacramento matrimonii significatur matrimonium Christi cum Ecclesia, nec non spiritualis animæ conjunctio cum eo, mediante gratiâ, & perpetuum vinculum, quo Beati in patria Deo copulebuntur, juxta illud sponsæ Cantic. 3. *Tenui eum, nec dimittam.*

Dico tertio: Sacramenta jam instituta, principalius significant gratiam, quàm passionem Christi, & gloriam. Ita communiter Thomistæ excepto Nunno, qui existimat in sacramento Eucharistiæ principalis significatum esse Christum.

Probat primò ex D. Thoma in 4. d. 1. q. 1. art. 1. quæstionum. 1. ad 4. ubi de sacramentis novæ legis sic ait: *Item significant ipsa sanctificationem quam faciunt, & hæc significatur*

est principalis. Ergo juxta D. Thomam, sacramenta jam instituta principaliter significant gratiam per quam sanctificantur, quam passionem Christi, & gloriam.

15 Probatur secundo ratione: Sacramentum significat primario id ad quod primario significandum est institutum, & cujus est signum ostensivum, sive demonstrativum: Sed est per se primò institutum ad significandam gratiam cujus est demonstrativum: Ergo illam primario & principaliter significat. Major patet, Minor probatur. Sacramentum est per se primò institutum ad significandam nostram sanctificationem, cum ad illam ut ad finem principalem ordinetur: Sed causa formalis & intrinseca nostrae sanctificationis est gratia: Ergo sacramentum est per se primò institutum ad significandam gratiam.

17 Contra istam conclusionem objicitur primò: Cum sacramentum institutum, gratiam, gloriam, & Christum significet, in quantum sunt causae nostrae sanctificationis, illa ex ipsis principaliter significat, quae sunt principales causae: Sed gloria & Christus sunt principales causae nostrae sanctificationis, quam gratia; principales enim causae sunt finalis & efficiens, quam formalis: Ergo principaliter significatum in sacramentis jam institutis, non est gratia, sed Christus, & gloria.

18 Secundo objicit Nunno specialiter de sacramento Eucharistiae: Illud semper principaliter significatur, quod expressius & formaliter significatur: Sed in sacramento Eucharistiae expressius & formaliter significatur Christus, quam gratia, ut constat ex verbis consecrationis, *Hoc est corpus meum*: Ergo in sacramento Eucharistiae Christus principaliter significatur.

19 Confirmatur primò: Sacramentum Eucharistiae non constituit essentialiter, sicut alia, in usu ipsius sacramenti, sed in consecratione materiae: Ergo ejus principale significatum non est gratia quae in usu sacramenti confertur, sed corpus & sanguis Christi, quae materia consecrata permanent.

20 Confirmatur secundo: Forma sacramenti Eucharistiae (inquit D. Thomas infra quaest. 78 art. 1) significat tantum transubstantiationem: Sed principaliter in transubstantiatione est corpus Christi: Ergo illud est principaliter significatum in sacramento Eucharistiae.

21 Ad primum respondeo distinguendo Majorem: illa principaliter significat sacramentum, quae sunt principales causae nostrae sanctificationis, comparatae in ordine & gradu dignitatis quem habent inter se, nego. Quae sunt principales comparatae ad nostram sanctificationem, concedo. Ea enim secundum istum duntaxat ordinem significat sacramentum. Similiter distinguo Minorem: gloria & Christus sunt principales causae nostrae sanctificationis, quam gratia: comparatae in ordine & gradu dignitatis quem habent inter se, concedo. Comparatae in ordine ad nostram sanctificationem, nego. Immediatè enim ad eam concurrunt gratia, & solum ipsa mediante. Christus, & gloria.

22 Ad secundum distinguo Majorem: illud principaliter significatur, quod expressius & formaliter significatur, in quantum non dicens ordinem ad aliud, quod etiam significatur, concedo. Quod expressius & formaliter significatur, solum in quantum dicens ordinem ad aliud, quod etiam expressè & formaliter significatur, nego:

tunc enim illud aliud per ordinem ad quod significatur & exprimitur, est potius principale significatum. Similiter distinguo Minorem: in sacramento Eucharistiae expressius & formaliter significatur Christus, absolute, nego. Ut dicens ordinem ad nostram sanctificationem, concedo. Verba enim consecrationis, ut forma Eucharistiae, significant corpus Christi, non absolute sumptum, sed per modum alimentum spirituales, in quantum scilicet potest per gratiam animam reficere, unde principaliter gratiam ipsam significat.

Ad primam confirmationem respondeo 63 quod licet sacramentum Eucharistiae non consistat in actuali usu, ac proinde non significet gratiam, ut actu sanctificantem, essentialiter tamen dicit ordinem ad usum, ac subinde gratiam; ut potentem per modum cibi spirituales animam sanctificare, repraesentat.

Ad secundam confirmationem distinguo Minorem: principaliter significatum in transubstantiatione absolute sumptum, est corpus Christi, concedo. In transubstantiatione ut significata per modum alimentum spirituales, potentis animam per gratiam reficere, nego. Antecedens, & Consequentiam; sacramentum enim Eucharistiae significat transubstantiationem isto secundo modo.

ARTICULUS IV.

Verum sacramentum sit semper res aliqua sensibilis, & hoc sit illi ita essentiale, ut de potentia Dei absoluta, non possit institui sacramentum in aliquare spirituali & insensibilis

Dico primò: sacramenta constare de facto res 65 bus sensibilibus.

Conclusio est certa de fide, habetur enim in sacra Scriptura in qua narratur sacramentorum institutio, & res sensibiles ex quibus quodlibet illorum constat, referuntur, ut patet cum agemus de singulis in particulari. Habetur etiam in Conciliis, praecipue Florentino & Tridentino in doctrina de sacramentis, & in Jure de consecr. dist. 2. Can. *Sacrificium*, ubi sacramentum dicitur, *Invisibilis gratia visibilis forma*. Et dist. 4. Can. *Multi*, ubi dicitur baptismum perfici per immersionem baptizandi. Denique D. Augustinus tract. 8. in Joan. loquens de baptismo ait, *Accedis verbum ad elementum, & fit sacramentum*.

Variae etiam asserri solent congruentiae, quibus nostra conclusio tuaderi potest. Prima & praecipua ea est quam adducit S. Thomas hic art. 4. & quae sumitur ex parte Divinae Sapientiae: nam Divina Sapientia unicuique rei providet secundum suum modum, unde Sapient. 8. dicitur quod *suaviter disponit omnia*: est autem homini connaturale, ut per sensibilia deveniat in cognitionem intelligibiliū: unde Dionysius de caelesti hierarchia cap. 1. *Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum*: Ergo cum res sacra quae per sacramenta significantur, sint quaedam spiritualia & intelligibilia bona, quibus

bus homo sanctificatur, conveniens fuit ut per res aliquas sensibiles, sacramentorum significatio impleatur, & sic sacramenta rebus sensibilibus de facto constare debent. Quam rationem insinuat Chrysostomus homilia 83. in Matth. dicens: *Si enim incorporeus es, nuda & incorporea tibi deditur* (Deus) *Sed quoniam anima corpori conferta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.*

Secunda petitur ex parte omnipotentis divinitatis, quæ in hoc maxime elucet, quod res sensibiles quæ fuerunt homini occasio spiritualis infirmitatis, factæ sint efficacia remedia salutis.

Tertia ex parte divinæ iustitiæ, æquum enim erat, ut quia homo per superbiam noluit subijci summo Spiritui, per humilitatem subijciatur rebus infimis & sensibilibus.

Quarta ex proportionem ad Ecclesiam, quæ consistit membris visibilibus, & capite (scilicet Christo) naturam sensibilem & humanam includentem; & divinam, invisibilem & spirituales: unde ut sacramenta, cum ea analogiam & similitudinem habeant, oportet ut cum virtute occulta causandi gratiam, & significatione spirituali gratiæ, rem corpoream & sensibilem includant.

Quinta denique ex fine sacramentorum, qui est multitudinem hominum in unam religionem adunare: hoc autem fieri non potest nisi per aliqua signa sensibilia, ut docet Augustinus 19. contra Faustum cap. 11. dicens: *In nullum religionis nomen homines coadunantur, nisi aliquo signaculo aut sacramentorum visibilibus consortio.*

167 Dices: Character baptismalis est res & sacramentum simul, & similiter corpus Christi sub speciebus Eucharisticis existens; pariterque interior contritio est pars sacramenti poenitentiae, & tamen hæc non sunt aliquid sensibile; Ergo ad sacramenta non requiruntur res sensibiles.

Respondeo cum Divo Thoma in quarta distinctione prima, questione prima, articulo primo, quaestione tertia ad tertium, quod Character baptismalis, & corpus Christi verum, non dicuntur sacramenta, nisi secundum quod coniunguntur signis sensibilibus. Et hic articulo quarto ad primum ait: *Effectus autem intelligibiles non habent quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliquid manifestati, id est per aliqua sensibilia.* Et per hunc etiam modum, quodam quæ non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, in quantum sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infra agemus: nempe quaestione sexagesima tertia, articulo primo ad secundum, ubi ait sanctus Doctor, quod character animæ impressus habet rationem signi, in quantum per sensibile sacramentum exprimitur: per hoc enim scitur aliquis esse baptismali characteri insignitus, quod est ablutum aqua sensibili, idemque de contritione docet in ista quaestione octagesima quarta, articulo primo ad tertium, & ad primum notat, quod nomine corporalium verum, intelliguntur largè etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in poenitentia, sicut aqua in baptismo, vel chrismus in confirmatione.

Dico secundò, potuisse à Deo institui sacramenta ex rebus insensibilibus. Est contra Cabreram, Nunnio, Joannem à sancto Thoma, Suarezem, Bellarminum, Sayrum, Bernal. & alios Recentiores, existimantes sacramentum ita essentialiter exigere quod constet ex re sensibili, ut nec divinitus sacramenta constare possint ex solis rebus & signis spiritualibus. Oppositum ex

A nostris docent Soto, Aravio, Serra, Martini Prado, & ex extraneis Henriquez, Valquez, Cugatena, & alii, cum quibus

Probatur conclusio ratione à priori. Iudicium de ratione sacramentorum est ad placitum ex sola libera voluntate Dei: Ergo sicut elevari materiam sensibilem ut significaret & conferret gratiam, potuit elevari operationem internam, & effectum purè internum adorationis, ad significandam, imò & causandam gratiam; in quo casus ille haberet quiddam requiritur ad effectum sacramenti, esset enim signum practicum ad placitum Dei, gratiæ sanctificantis, in ipsa actuali exercitio conferendæ.

B Confirmatur primò: Quamvis de facto Deus Angelis dederit gratiam absque signis & sacramentis, tamen non repugnat, de potentia absoluta, quod sicut hominibus dedit sacramenta proportionata, sub tegumento visibili, invisibilem gratiam significantia, & continentia; ita daret signa & causas instrumentales in actu exercitio causantes in Angelis gratiam: Sed huiusmodi signis & causis nihil essentialiter sacramenti difficeret, essent enim signa practica, & ex beneplacito seu institutione Dei, gratiæ sanctificantis, in actuali eorum exercitio conferendæ: Ergo potuerunt à Deo institui Sacramenta ex rebus insensibilibus.

C Confirmatur secundò: Deus ad patrandam miracula potest interiori motu hominis tanquam instrumento uti juxta D. Thomam 2.2. quaestione 178. articulo 1. ad 1. Ergo potest eandem operationem immanentem elevari ut instrumentum, licet causet gratiam, eo genere causalitatis, quo nunc causant sacramenta: Sed accedente divina institutione, talis actus interior habebit omnem essentialiter requisita ad sacramentum; etenim signum practicum, ad placitum Dei, gratiæ sanctificantis, in ipsius actuali exercitio conferendæ: Ergo nihil repugnat Deum instituisse sacramenta ex rebus insensibilibus. Verumtamen est, quod talia sacramenta non essent ejusdem rationis cum iis quæ modo sunt, cum illa fiat signa sensibilia, & consequenter omnibus communia; illa verò essent insensibilia, subindeque specialia solum prædictum actum elevari. Item non essent ita proportionata homini, qui non devenit in cognitionem spiritualium, nisi quasi manu ductus per sensibilia.

D Dices primò, Est de ratione signi quod sit sensibile, ut patet ex hac definitione signi quam tradidit Divus Augustinus 2. de doctrina Christiana: *Signum est quod præter speciem quam ingerit sensibus, fiat aliquid aliud in cognitionem venire.* Sed de ratione sacramenti est quod sit signum, cum sit essentialiter in genere signi, ut articulo 1. ostendimus: Ergo nequit dari sacramentum quod non sit sensibile.

Respondeo negando Majorem, nulla enim est repugnantia, quod dentur signa spiritualia instrumentalia, quamvis secundum primam vocis impositionem, primò & principaliter dicantur signa quæ sensibus offeruntur, ut ait sanctus Thomas hic art. 4. ad 1. Unde ad Augustinum, dicendum, illum non definire signum in tota sua latitudine, sed solum prout completitur omne signum ab homine institutum, illud enim debet esse sensibile; unde signum abstractè à spirituali & sensibili quod posset institui, debet sic de-

fignum est quod mediante, sive prae-supposita sui
 ritia, in alterius cognitionem deducit: sive prima
 illa cognitio pertineat ad sensum, sive ad intel-
 lectum.

72 Dices secundò: Non minùs est de intrinseca
 ratione sacramentorum, quòd consent rebus
 sensibilibus, quàm quòd sint signa ad placitum:
 Sed fieri nequit, etiam de potentia absoluta,
 quòd sacramenta sint signa naturalia gratiae: Er-
 go etiam implicat dari sacramenta quae non con-
 sent rebus sensibilibus.

Respondeo negando consequentiam & pari-
 tatem: Ratio verò discriminis manifesta est,
 cum enim nulla creatura factibilis possit natu-
 raliter causare gratiam, non potest etiam natu-
 raliter eam significare, sed solum ex institutione
 Dei virtutem productivam gratiae ei tribuen-
 tis; unde implicat in terminis aliquid esse sa-
 cramentum, & esse signum naturale, nam ut ait
 S. Doctor hic art. 5. ad 2. *Res non ordinantur ad
 sanctificationem ex aliqua virtute sibi naturaliter in-
 ducenda, sed solum ex institutione divina.* At verò mate-
 ria sacramenti assumitur ad libitum instituentis,
 unde sicut assumptis materiam sensibilem, po-
 tuit assumere actus purè internos & spirituales.

ARTICULUS V.

*Virum res sensibiles, quibus in sacramentis
 utimur, debeant esse determinatae
 à Deo?*

Sensus hujus quaestiones quàm D. Thomas hic
 art. 5. resolvit, est an sit positum in arbitrio
 cuiuslibet, vel saltem Ecclesiae assumere res
 quascunque in sacramenta, an verò sit necesse
 uti certà materià ad unumquodque, eaque de-
 beat esse à Deo determinata? Pro resolutione

73 Dico breviter, in sacramentis novae legis uti-
 tendum esse materià à Christo determinatà.

Probatur ratione D. Thomae: In sacramentis
 novae legis duo possunt considerari, cultus scilicet
 divinus, & sanctificatio nostra, quorum pri-
 mum pertinet ad hominem per comparationem
 ad Deum, secundum verò ad Deum per compa-
 rationem ad homines: quamvis autem potuisset
 pertinere ad hominem determinare materias
 sacramentorum, quatenus sunt res ordinatae ad
 cultum divinum, quia cultus Dei est in potestate
 hominis; non tamen quatenus ordinantur ad
 nostram sanctificationem, quia sicut est in pote-
 estate solius Dei sanctificare, ita ad solum Deum
 pertinet determinare res quibus homo sanctifi-
 cetur. Nec propter hoc arctatur via salutis, quia
 res quarum usus est necessarius in sacramentis,
 vel communiter habentur, vel parvo studio ad-
 hibito haberi possunt.

Hac ratio procedit de sacramentis novae le-
 gis, de quibus expressè loquitur S. Doctor; do-
 ctina tamen tradita verum habet etiam in sa-
 cramentis antiquae legis; nam sicut lex ipsa fuit
 à Deo data, mediantibus Angelis, & à Moysè
 promulgata; ita ab ipso Deo fuerunt determi-
 natae res quibus utendum erat in sacramentis
 veteris legis. Quid verò de sacramentis quae e-
 rant ante legem scriptam sentiendum sit, & an
 etiam in illis certà materià essent à Deo deter-
 minata, patebit ex infra dicendis.

Contra hanc conclusionem objicitur primò:

Tom. V.

A Ecclesia de facto mutavit materià sacramenti
 matrimonij, in Concilio Tridentino sess. 24.
 decreto de reformatione cap. 1. nam ante Con-
 cilium, consensus sensibilibus expressus verbis
 aut nutibus viri aut mulieris, sive publicè, sive
 clam & occultè, erat materià proxima matri-
 monij: in citato verò capite statuitur, non futu-
 rum amplius matrimonium, nisi ad sit consensus
 expressus coram Parocho, & duobus testibus:
 Ergo materià omnium sacramentorum novae
 legis, non est à Christo determinata in particu-
 lari.

Respondeo hanc difficultatem infra in Tractatu
 75 de matrimonio exactè esse discutiendam,
 interim tamen breviter dico, matrimonium fu-
 isse semper contractum aliquem naturalem, &
 civilem, cujus validitas dependet à conditioni-
 bus à Republica praescriptis, quibus non stanti-
 bus est irritus, sicut alij civiles & naturales con-
 tractus. Sicut autem ad Rempublicam pertinet
 cuilibet contractui certas adhibere condi-
 tiones, ita ad eandem spectat eas immutare secun-
 dum diversitatem & exigentiam temporum, &
 circumstantiarum, aut etiam novas addere, qui-
 bus non subsistentibus, nullus erit contractus.
 Cum ergo Christus instituit sacramentum ma-
 trimonij, elevavit contractum civilem ad sacra-
 menti dignitatem, non auferendo tamen à Re-
 publica potestatem quam habebat super illum,
 sed relinquendo in ejus dispositione, ut pro di-
 versitate temporum, & aliarum circumstantia-
 rum, posset illi addere certas condiciones, sine
 quibus esset nullus, & consequenter non esset
 sacramenti materià: unde Christus non deter-
 minavit pro materià matrimonij consensum hoc
 vel illo modo expressum, sed ita expressum, ut
 juxta dispositionem Christianae Reipublicae, sit
 legitimus ad contractum civilem; sicque quan-
 do Tridentinum decrevit, non futurum am-
 pliùs matrimonium, nisi consensus exprimeretur
 coram Parocho & duobus testibus, non muta-
 vit materià, ut erat à Christo determinatè for-
 maliter, quia stat semper quod materià matri-
 monij sit consensus legitimus ad contrahen-
 dum, sed ad summum materialiter (sub qua ra-
 tione non erat ab eo determinata, sed in pote-
 estate Ecclesiae relicta) efficiendo scilicet, ut con-
 sensus clam expressus, non esset amplius ad con-
 trahendum legitimus, quia ita exigebant cir-
 cumstantiae temporum, ob varia inconvenien-
 tia quae ex matrimonijs clandestinis oriebantur.

Objicitur secundò: Olim per solam manuum
 76 impositionem, tanquam materià, videtur fu-
 isse collatum Sacerdotium, imò nunc in Eccle-
 sia Graeca, non solum Episcopi Schismatici, sed
 etiam Catholici, & qui Romae degunt, dum
 Graecos Presbyteros ordinant scientes & con-
 sentientes Summo Pontifice (ut Cardinalis De-
 lugo seipso praesente accidisse testatur) non per
 calicis & patenae porrectionem id faciunt, sed
 per manuum impositionem super caput ordina-
 di, & tamen Ecclesia Latina eundem ordinem
 confert per exhibitionem panis & vini in cali-
 ce, & in hac actione credit imprimi caracte-
 rem, & consistere materià hujus sacramenti:
 Ergo fieri potest variatio materià sacramenti
 Ordinis, subindeque à Christo determinata
 non fuit.

Huic difficillimae objectioni respondent plu-
 res graves Theologi, Christum Dominum non
 determinasse in individuo materià & formam

C

sacra-

sacramenti Ordinis materialiter sumptas, sed solum voluisse quod conferretur Ordo per aliquod signum sensibile significativum potestatis quæ traditur, & per verba hoc ipsum exprimentia: unde licet Ecclesia Græca ordinet suos sacerdotes per manuum impositionem, Latina verò per exhibitionem panis & vini in calice; quia tamen utraque illa materia, juncta suæ formæ, est signum sensibile potestatis consecrandi panem & vinum, quæ confertur, neutra variat materiam hujus sacramenti, à Christo statutam & determinatam. Videntur aliqui moderni Societatis gloriarì quod hanc solutionem, & modum istum conciliandi ritus Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, in collatione sacramenti Ordinis primò invenerint. Sed immerito, jam diu enim hæc solutio & doctrina fuit tradita à Decano Lovanensi Ruuardo Tapper art. 17. contra Lutherum, & à Petro Soto in instit. Sacerdotum, de sacramento Ordinis, lect. 4. folio 398. his verbis: *Vbi de modo tradendi hanc potestatem ordinum non est certum aliquod institutum à Christo, potest Ecclesia constituere, quibus vel verbis, vel actibus, vel signis alijs in eiusmodi traditione utendum sit. Quod alià ratione non est opus nunc probare, cum sit hoc à Christo commissum Ecclesiæ.*

78 Verum, licet hæc solutio probabilitate non careat, secundò tamen responderi potest, juxta opinionem illam probabilem, quam mordicus sustinet Estius in 4. dist. 24. & alij quos citat Diana 2. p. tract. 16. resolut. 3. quod scilicet in ordinatione non sit necessarius contactus physicus materiæ, sed sufficiat contactus ejus moralis, id est illius exhibitio, vel ostensio, dum traditur potestas consecrandi. Hoc enim supposito, facile potest quis se expedire à difficultate propo-
 sita, dicendo quod eadem materia Latino & Græco sacerdoti in susceptione Ordinis traditur; hoc solum excepto, quod materia Ordinis Sacerdotalis, nimirum panis & vinum in calice, in ritu Græcorum est in altari, & moraliter solum à Græco Sacerdote tangitur; in ritu verò Latinorum est in manibus iniciandorum, & physice ab ipsis contingitur: unde Ecclesia Latina & Græca, in substantia materiæ sacramenti Ordinis conveniunt, & in accidentali tantum ritu, qui penes contactum physicum vel moralem materiæ attenditur differunt.

79 Sed quia alia opinio, quæ in susceptione Ordinis physicum materiæ contactum requirit, securior, probabilior, & communior est, addo quod licet sacerdos Græcus non tangat immediate calicem cum hostia, illum tamen tangit mediatè, eo ipso quod tangit altare in quo est calix cum hostia; cum enim connexa sint mensa sacra, & calix cum hostia ei superposita, bene fiat, quod tactus ille qui est immediatus circa altare, sit mediatuſ circa calicem & hostiam. Sicut ergo si daretur casus in Latina Ecclesia, quod poneret Episcopus calicem cum hostia super altare portatile, seu parvam aram, eamque sic exhiberet iniciando, revera faceretur quis sacerdos, dummodo aram tangeret, quia tactu mediatò tangeret calicem; non secus ac tangens pedem calicis, nec tangens patenam, patenam quoque quæ superponitur calici, imò & vinum ac hostiam terigisse dicitur, ut docent Soto, Victorius, Armilla, Ledesma, & alij quos refert & sequitur Diana parte 2. tract. 16. seu 2. miscellaneo resol. 3. Ita pariter tangente Græco magnam aram, ubi calix cum hostia positus est,

A ipsum quoque mediatò contactu physice contingere dicendum est. Ita præclare noster Gra-
 vina in vindicijs orthodoxis pro sacramentorum de Dominis, ubi hanc questionem edicte pertractat, & ait, quod sicut satis est ad possessionem, etiam physicam & realem, ut quando ponendo pedem in fundo (etiam si manu non tangat territorium, nec omnes glebas pedes percurrat) inveltituram recipiat. Ita pariter ut Græcus in Sacerdotem ordinetur non requiritur quod tangat immediate calicem cum hostia, sed est materia Ordinis sacerdotalis, sed sufficit quod contingat immediate altare, in quo calix cum hostia positus est; nam hoc ipso simul calicem mediatè contingere dicitur. Quod verò tactus altaris in ordinatione Presbyteri Græci semper interveniat, probat idem Author ex Ethologio Græco, ubi sic dicitur: *Qui verò ordinandus, fronti incumbens sacra ara, utramque genua flectit, Diacono verò elatà voce dicente ATTENDAMUS: statim Pontifex imposi à manu anteum pallio, clarà voce enunciat. Divina gratia, quæ super infirma curat, & quæ desunt supplet, promittit. N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum &c. Unde manus sacerdoti iniciando à Pontifice imponitur, simul tactus altaris intervenire dicitur.*

ARTICULUS VI.

Verum in sacramentis verba requirantur?

Licet hæc difficultas procedat præcipue de sacramentis novæ legis, & de illis pontificali agat S. Doctor hic art. 6. ubi hanc questionem proponit, solet tamen à Commentatoribus, ad omnia sacramenta, non solum novæ legis, sed etiam legis veteris, & legis naturæ extendi, unde de istis etiam breviter hic agendum est.

Dico ergo primò: in omnibus sacramentis novæ legis requiruntur verba proprie vel improprie sumpta. Ita D. Thomas hic art. 6.

Probat primò ex Scriptura, discurrendò figuratim per singula sacramenta. Primò de baptismo dicitur Matth. 28. *Baptizantes eum in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* Et ad Epistol. 5. *Mundans eam (scilicet Ecclesiam) lavacro aquæ in verbo vitæ.* Unde Augustinus tract. 80. in Joann. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* De Confirmatione habetur Actuum 8. quod factus per orationem & impositionem manuum. De Eucharistia dicitur Matth. 26. *Accipite panem, fregit, & dixit &c.* de Penitentia legitur Joann. 13. *Quorum remisistis peccata &c.* & specialis ratio pro penitentia est, quia potestas absolventi judicialiter quæ verbis jam adductis tradita fuit Apostolis, principaliter exercetur per verba absolutionis. Unde Chrysostomus humil. 8. in Joann. dicit, Spiritum Sanctum cuius est solus remittere peccata, uti ad absolutionem poenitentis, non solum manu, sed & lingua sacerdotis. Ad Extremam unctionem necessaria esse verba, colligitur ex Jacobi 5. ubi ad conficiendum hoc sacramentum ponitur unctio, & oratio. De Ordine verò & de Matrimonio nihil expresse habetur in Scriptura, colligitur tamen ex traditione Ecclesiæ, quam explicuit Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum, ubi

numeratis septem Ecclesie sacramentis, de illis A
ait: *Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, vide-
licet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma,
& personarum ministris.* Colligitur etiam ex SS. Patri-
bus, dicit enim Hieronymus in cap. 58. *Isaia;*
ordinem Clericorum fieri ad imprecationem vo-
cis, & impositionem manus. Et Ambrosius in cap. 4.
1. ad Timotheum. *Manus impositiones (inquit) verba*
sunt mystica, quibus accipit auctoritatem sacerdos, ut
audiat vice Domini sacrificium Deo offerre. Deni-
que Alexander III. in caput *Licet, de sponsa duo-*
rum, ait oportere ut uterque conjugum, verbis
aut alijs signis consensum suum alteri significet,
propter quod in conclusione dixi, requiri verba
propria, vel impropria, quia in sacramento Pœ-
nitentiae & Matrimonij interdum sufficiunt nu-
tus, aut alia signa, quae suppleant vicēs verbo-
rum, & dicuntur verba improprie, ex quadam
proportionem, ut declarabitur articulo sequenti.
Probatur secundo conclusio discursu D. Tho-
mae Tripliciter possunt considerari sacramenta,
primo ex parte causae instituentis, & homines
sanctificantis, scilicet Christi, secundo ex parte
hominis recipientis, & tertio ex parte significa-
tionis: ex triplici autem illa consideratione ha-
bent sacramenta novae legis, ut exigant verba;
sicut enim Christus componitur ex Verbo spiri-
tuali, & ex carne visibili: ita congruum fuit ut
sacramenta instituta à Christo, fierent per res
sensibiles, & verba quodammodo spiritualia;
quatenus a ratione procedunt, & conceptus ra-
tionis significant. Deinde, sicut homo constat ex
corpore & anima, ita conveniens fuit ut medi-
cina proportionaretur infirmo, & quod sacra-
menta gratiam medicinalem efficientia, consti-
rent ex rebus, & verbis, quae anima credit. Un-
de Augustinus citatus, explicans illud Joani. 1. *Si*
iam vos mundi estis propter sermonem, sic habet: *Vni-*
de est tanta virtus aquae, ut corpus tangat, & cor ab-
luat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia
creditur. Tandem sacramenta novae legis, cum
sunt omnibus alijs perfectiora, significant etiam
perfectius & expressius gratiam: verba autem
expressius significant, quam res sensibiles: Tum
quia verba inter homines obtinuerunt principatum
significandi, ut ait Augustinus lib. 2. de doctrina
Christiana cap. 3. Tum etiam, quia res sensibi-
les ex se sunt indifferentes ad multa significan-
da, & determinantur ad unum per verba: v. g.
aqua baptismalis potest significare refrigerium
animae, propter suam frigiditatem; vel ablu-
tionem & munditiam spirituales, ratione suae
humiditatis; determinatur verò ad significan-
dam mundationem spiritualem, per haec verba,
Ego te baptizo.

Dico secundo: in sacramentis veteris legis
non erat necessarium quod rebus verba adde-
rentur. Ita S. Thomas hic art. 6. ad 3. ubi id
probat ex Augustino lib. 19. contra Faustum
cap. 6. dicente quod *alia debent esse sacramenta*
rei praesentis, & alia rei futurae: rem enim praesen-
tem clarius manifestamus, quam futuram; sa-
cramenta autem veteris legis praenuntia erant
Christi venturi; & ideo non ita expresse signi-
ficabant Christum, sicut sacramenta novae legis;
& idcirco illis non addebantur verba, quae (ut
ex eodem Augustino vidimus) inter homines
obtinuerunt principatum significandi. Unde
belle ait Soto in 4. dist. 1. quaest. 1. art. 6. quod
in veteri lege Patres antiqui nostrae fidei myste-
ria solum in umbra cognoscebant, & illis res

Tom. V.

mutae quasi sub una umbra mustabant quod no-
stra sacramenta expressis verbis adaperiunt.

Idem etiam colligitur ex eo quod in veteri
testamento, quando fit mentio sacramentorum,
non praescribuntur verba quibus perficerentur,
ut Genes. 17. cum tractatur de ritu Circumcisi-
onis, & Exodi 12. cum praecipitur immolatio
agni, & Levitici 8. cum mentio fit de ritu ordi-
nationis.

Neque obstat quod in sacrificijs pro peccato 83
(quae respondebant nostro sacramento peni-
tentiae, ut docet S. Thomas 1. 2. quaest. 102.
art. 1.) praecipitur ut oraret sacerdos, ut patet
Levitici 4. Nam illae orationes non erant de
substantia sacrificij, aut de forma sacramento-
rum, sed solum pertinebant ad ritum & solem-
nitatem cultus divini. Unde S. Thomas hic art.
6. ad 3. sic ait: *Utebantur tamen in veteri lege ali-*
quibus verbis, in his quae ad cultum Dei pertinent, tam
sacerdotes qui erant sacramentorum illorum ministri
(secundum illud Numer. 6. sic benedicetis filii Israel,
& dicitur es: Benedicat tibi Dominus &c.) quam
etiam illi qui illis sacramentis utebantur: secundum
illud Deuteronom. 26. Prosterne hodie coram Domino
Deo tuo &c.

Durandus tamen in 4. dist. 1. quaest. 3. docet
ab hac lege generali, quam pro sacramentis ve-
teris legis tradit S. Thomas, excipiehdum esse
sacramentum zelotypiae, illudque rebus & verbis
constasse; tum quia id videtur insinuari Numer.
5. tum etiam, quia illud non tantum fiebat ad
figurandum futura, sed potius ad exhibendum
aliquid de praesenti, non quidem spirituale, ut
sacramenta novae legis, sed corporale, quod si-
gnificabatur per verba eadem expressa.

Sed hoc non obstat generali doctrinae, pro sa-
cramentis veteris legis à D. Thoma traditae, nam
ut rectè annotarunt Soto, loco supra citato, &
Bellarminus lib. 1. de sacramentis cap. 18. ca-
remonia illa zelotypiae, non erat sacramentum
antiquae legis, cum non esset instituta ad signifi-
candam sanctitatem, nec ad faciendum legali-
ter, sed solum esset lex de modo quo inquirere-
tur, & puniretur adulterium.

Quod diximus de sacramentis legis veteris,
asserendum est etiam de sacramentis legis na-
turae, ad illa enim nulla requirebantur verba, sed
sufficiebat fides Mediatoris exprimere, illam-
que protestari actu, aut signo aliquo exteriori,
ut ex infra dicendis constabit.

ARTICULUS VII.

*An omnia sacramenta novae legis componan-
tur ex rebus & verbis, sicut ex materia &
forma, & tanquam ex partibus
essentialibus?*

Tria in titulo hujus articuli inquirimus. Pri-
mum est, an sacramenta novae legis ex re-
bus & verbis componantur? Secundum, an in
tali compositione res habeant rationem mate-
riae, & verba rationem formae? Tertium, an sicut
in naturalibus materia & forma essentialiter &
intrinsicè componunt totum, ita sacramenta no-
vae legis essentialiter & intrinsicè ex rebus &
verbis constent?

C 2

§. I.

*Triplici conclusione hæc triplex difficultas
resolvitur.*

85 Dico primò: omnia sacramenta novæ legis constare ex rebus & verbis. Est contra Durandum negantem sacramenta penitentiae & matrimonij rebus & verbis necessariò perfici quæ sententia merito ab omnibus censetur temeraria, & ab aliquibus ut hæretica proscribitur, ob definitionem Concilij Florentini, quod in decreto unionis, enumeratis sigillatim omnibus sacramentis novæ legis, sic concludit: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & personâ ministræ conscientis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum.* Potest tamen aliquam exculari Durandus, ex eo quod ante Concilium Florentinum scripserit, vixit enim tempore Joannis XXII. circa annum 1320. ut cum Trithemio notat Fernandez in Scriptoribus Prædicatorij Familiae. Constat etiam conclusio ex dictis articulis præcedentibus, ubi ostensum est, in omnibus sacramentis res aliquas sensibiles, & verba reperiri.

86 Dico secundò: in sacramentis novæ legis, res habent rationem materiæ, & verba rationem formæ. Ita D. Thomas hic ar. 6. ad 2. dicens: *Ex verbis & rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut ex forma & materia, inquantum scilicet per verba perficitur significatio rerum.* Quam doctrinam Concilium Florentinum, in decreto unionis supra citato, sanxivit, & ut loquitur Cajetanus, canonizavit, asserens omnia sacramenta perfici rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.

87 Ratio etiam a S. Doctore in corpore ejusdem articuli insinuat, id suadet: Illud enim quod est determinabile per aliud, habet rationem materiæ, illud verò quod determinat & perficit, habet rationem formæ: Sed in omnibus sacramentis novæ legis, res sensibiles sunt determinabiles per verba, cum sint indifferentes ad multa, verba autem determinant illas ad unum: *Aqua enim significare potest & abluionem, propter suam humiditatem, & refrigerationem, propter suam frigiditatem: sed cum dicitur, Ego te baptizo, manifestatur quod aqua utimur in Baptismo ad significandam emundationem spiritualem.* Ergo in sacramentis novæ legis, res sensibiles habent rationem materiæ, verba autem rationem formæ.

88 Dico tertio: res & verba sunt partes intrinsecæ & essentialis sacramentorum novæ legis. Est contra Cabreram asserentem omnia quidem sacramenta legis novæ, rebus & verbis necessariò perfici, nullum tamen eorum intrinsecè & essentialiter constare verbis, sed solum rebus, unde vult quod verba solum in genere causæ efficientis, seu formalis extrinsecæ, ad compositionem sacramenti concurrant. Est etiam contra Bellarminum, Suarezem, Vezquem, & Coninchum, existimantes omnia sacramenta novæ legis quæ in usu consistunt, componi essentialiter ex rebus & verbis, secus tamen Eucharistiam, quia cum sacramentum Eucharistiæ sit res permanens, non videretur quomodo possit intrinsecè constitui ex aliquo transeunte, cuiusmodi sunt verba.

89 Nostra tamen conclusio aperte colligitur ex D. Thoma in 4. dist. 1. qu. 1. art. 3. ad 2. dicente, *Verba & res sunt de essentia sacramenti: hoc enim*

A esset aperte falsum, si sacramenta novæ legis componerentur ex rebus & verbis, tanquam ex partibus essentialibus. Item infra quæst. 90. art. 2. in corp. ait, *Quodlibet sacramentum desinit in materiam & formam, sicut in partes essentia.*

Dices, verba esse in doctrina D. Thomæ de essentiali sacramenti novæ legis, & partem ejus essentialis, non intrinsecè, sed extrinsecè ipsius efficienter componendo.

Sed contra: nunquam proprie loquendo causa efficiens dicitur de essentia compositi quæ efficit, ut pars essentialis ipsius, unde hæc explicatio verborum D. Thomæ, quæ est Cabreræ, assensum terminorum intolerabilem ipsi imponit.

B Probatur secundò: Omne sacramentum legis gratiæ ex eis componitur tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus, ex quibus constat tanquam ex materia & forma: Sed quodlibet ex eis constat ex rebus & verbis, tanquam ex materia & forma: Ergo ex illis constat tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus. Minor patet ex dictis conclusionibus præcedenti, Major verò ostenditur. Non solum materia, sed etiam forma, est in quolibet composito, etiam artificiali, pars intrinsecæ & essentialis ipsius: Ergo omne sacramentum legis gratiæ, ex eis componitur tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus, ex quibus constat tanquam ex materia & forma.

C Consequenter patet, Antecedens verò, quod arguit Cabreram, probatur. Si sola materia in composito artificiali esset tota essentia, de ea sola prædicari posset absolute, ipsum totum compositum artificiale, etiam nomine substantivo expressum: v. g. si in cathedra lignea solum lignum esset tota ejus essentia, verum esset absolute loquendo dicere, *lignum est cathedra*; sicut etiam quod animal rationale sit tota essentia hominis, verum est absolute, quod animal rationale sit homo, idque quia res qualibet nihil aliud est absolute, præter totam suam essentiam, ac proinde de ea absolute potest prædicari: Consequens autem non potest admitti, ut est de se manifestum: Ergo &c.

D Confirmatur: In omni sacramento, non solum res ipsa, sed etiam significatio ipsa rerum, verborum, est forma extrinsecæ, ut fatetur Cabreram, & tamen compositio illa ex rebus & verbis ex una parte, tanquam ex materia; & ex alia, tanquam ex forma, non minus est accidentalis, quæ sit compositio ipsa præcisè ex rebus & verbis; aquæ quidem accidentale est rebus & verbis sacramentalibus significationi gratiæ sanctificantis conjungi, quam rebus præcisè sive substantijs, uniri verbis: Ergo similiter verba quibus constant sacramenta novæ legis, sunt forma ipsi intrinsecæ, non verò solum extrinsecæ.

E Probatur tertio, destruendo fundamentum Cabreræ: Idem enim asserit sacramenta novæ legis non componi ex rebus & verbis tanquam ex partibus essentialibus & intrinsecis, quia existimat quod sicut verba non possunt dici de substantia sacramenti, ita neque de ejus essentia. Sed hæc paritas omnino falsa est, idem enim verbum quæunt dici esse intrinsecè de substantia sacramenti, sed sola res sunt tota ejus substantia, quæ verba non sunt substantiæ, sed accidentia. At hæc ratio non concludit, quod neque etiam dici possint esse de ratione seu de essentia sacramenti; quia licet in compositis substantijs idem sint essentia & substantia, ac proinde non

valeat Consequentia: non est de substantia, ergo neque de essentia, non tamen in compositis accidentalibus, seu artificialibus.

94. Confirmatur: Quamvis significatio in sacramentis non sit de substantia eorum, quia est accidentis, est tamen etiam in doctrina Adversarij, pars intrinseca essentia ipsorum: Ergo idem dicendum de verbis sacramentalibus.

95. Probatur quartò specialiter de sacramento Eucharistiae contra Bellarminum, suarem, Vazquezem, Coninchum & alios. Ex illis tanquam ex partibus essentialibus & intrinsecis constat sacramentum Eucharistiae, ex quibus essentialiter & intrinsecè constat illud totum, quod assumptum est à Christo ad significandam & efficiendam gratiam per modum cibi spiritualis: Sed istud constat essentialiter & intrinsecè ex rebus, & verbis: Ergo & sacramentum Eucharistiae. Major constat, sacramentum enim Eucharistiae physice sumptum, est illud totum quod Christus assumpsit & instituit ad significandam & causandam praedictam gratiam. Minor verò probatur: Si totum à Christo assumptum ad significandam gratiam in sacramento Eucharistiae non constaret intrinsecè ex rebus & verbis, sed solum ex rebus, nimirum ex speciebus panis & vini unà cum corpore & sanguine Christi, ut contendunt Adversarij, cum (ut jam dictum est) quilibet res nihil aliud sit absolute, præter id, quod est tota ejus essentia, verum esset dicere absolute, totum à Christo assumptum in Eucharistia ad significandam gratiam nihil aliud esse absolute, præter species panis & vini, unà cum corpore Christi. Sed hoc falsum est, Christus enim absolute loquendo assumpsit præterea ad talem significationem verba consecrationis, alias enim sine illis species & corpus Christi simul sumpta essent signum sensibile gratiae, ut in actuali eorum sumptione conferendae, quod tamen est evidenter falsum: Ergo &c.

96. Confirmatur: Id per quod aliquid, quod essentialiter & intrinsecè est sensibile signum gratiae, fit formaliter signum sensibile illius, est pars intrinseca ejus & essentialis: Sed sacramentum Eucharistiae, quod essentialiter & intrinsecè est signum sensibile gratiae, constituitur formaliter signum sensibile illius per verba: Ergo verba sacramenti Eucharistiae sunt pars intrinseca & essentialis ipsius. Major est evidens, unicuique enim est essentialis & intrinsecum id, quod formaliter in suo esse essentiali & intrinsecò constituitur. Minor verò probatur: Per id sacramentum Eucharistiae constituitur formaliter sensibile signum gratiae, quod solum in ipso habet rationem formae ex se significativae gratiae: Sed sola verba consecrationis habent in sacramento Eucharistiae rationem formae sensibilis, & ex se significativae gratiae; licet enim species consecratae, sive ut continentes corpus Christi, sint ex se sensibiles, non tamen ex se ipsis, sed solum dependentes à verbis, tanquam à forma, habent quòd sensibilibus possint significare Christum, & ejus gratiam; secluso enim respectu ad talem formam (Hoc est corpus meum) hostiae consecratae non magis significant sensibilibus Christum ibi esse praesentem, & ejus gratiam, quam hostiae non consecratae: Ergo &c.

97. Probatur ultimò destruendo fundamentum opinionis contrariae: Cum in sacramento Eucharistiae verba consecrationis, quae sunt pars notius ceremoniae à Christo adhibita, & instituta

in ejus celebratione, determinent species panis & vini ad rei sacrae, & spiritualis nutritionis significationem: sicut in baptismo verba, Ego te baptizo, determinant infusionem, seu asperfusionem aquae ad significandum spiritualem abluitionem, si non obstante illa paritate, sacramentum Eucharistiae non constaret sicut baptismus ex rebus & verbis, tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus, maxime quia, ut docent Adversarij, cum sacramentum Eucharistiae non sit aliquid transiens, sicut baptismus, sed permanens, non potest sicut baptismus intrinsecè constitui ex aliquo transeunte, cujusmodi sunt verba: Sed haec ratio nulla est: Ergo nec illud, quod ex ea deducitur. Major est totum fundamentum opinionis contrariae, Minor verò probatur. Ut aliquid permanens dicatur intrinsecè constitui ex aliqua re, non est necesse, quòd res illa formaliter, sed sufficit quòd virtualiter remaneat in ipso, mixtum enim absolute & verè dicitur intrinsecè constitui ex elementis, licet ipsa elementa non remaneant in ipso formaliter, sed tantum virtualiter: Sed licet verba consecrationis transeant formaliter, virtualiter tamen remanent in speciebus panis & vini, utpotè cum istae species remaneant à verbis illis determinatae & modificatae ad sensibilibus significandum corpus & sanguinem Christi sub ipsis existentia per modum cibi & potus spiritualis, talisque determinatio sit virtus verborum realiter formaliter ipsas species actuans, quia realiter tacta fiunt, & percussa à verbis: Ergo &c.

Dices, Ille modus determinationis in speciebus Eucharisticis est insensibilis, cum neque sit visibilis, neque audibilis, neque ullo alio sensu perceptibilis: Ergo non praestat illis speciebus, quòd sensibilibus significant corpus & sanguinem Christi.

Sed contra: Licet modus ille sit insensibilis secundum id, quod praecise in recto importat, nempe secundum suam entitatem, est tamen sensibilis secundum hoc, quod dicit de connotato, scilicet verba, à quibus fuit productus, & ad quae dicit essentialem habitudinem.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò cum Durando contra primam conclusionem: Neque sacramentum poenitentiae, neque sacramentum matrimonij constant ex rebus sensibilibus & verbis: Sed utrumque est sacramentum novae legis: Ergo falsum est quòd omnia sacramenta novae legis constant seu perficiantur rebus & verbis. Minor est certa inter Catholicos, Major verò probatur primò de sacramento poenitentiae, quia materia remota ipsius sunt peccata; proxima, contritio, & actus poenitentis; & forma, absolutio sacerdotis: Sed fieri potest quòd quis non habeat peccatum, nisi verbo commissum; item actus poenitentis possunt esse sola verba, nam non est de necessitate hujus sacramenti, flectere genua, flere &c. sed sic est dicere sua peccata, & dolere, contritio autem est spiritualis: denique absolutio etiam in verbis consistit: Ergo sacramentum poenitentiae nihil continet sensibile, nisi verba. Idem probatur de matrimonio: Tum quia fieri potest

C 3

praecise

præcisè per verba contrahentium exprimentia consensum de præsentì, & ita non est necesse, quòd constet rebus & verbis distinctis. Tùm etiam, quia fieri potest matrimonium sine verbis, ut cum absentes contrahunt per litteras: & præsentès, qui sunt muti, per nutus & alia signa.

100. Pro resolutione huius objectionis observandum est, quòd cum omnia sacramenta novæ legis dicuntur constare ex rebus & verbis, non ita strictè accipi debent nomina rerum & verborum, ut (sic existimavit Durandus) neque res pro verbis, neque verba pro rebus interdum accipi possint: sed nomine verborum ea omnia intelligi debent, præter verba, quæ verborum loco adhiberi solent ad aliquid significandum, qualia sunt litteræ, nutus, & alia signa in sacramento matrimonij, quæ verborum loco adhibentur ad utriusq; partis consensum formaliter exprimendum; & idèò verba, non quidem formalia, sed virtualia dici possunt. Similiter cum præter verba res necessarias esse diximus in omni sacramento legis gratiæ, nomine rerum intelligimus ea omnia, etiam quæ sunt vice earum, id est quæ ita adhibentur in sacramentis loco rerum, ut sicut ipsæ per alia signa determinantur ad significandum. Et ratio horum est, quia cum in omni sacramento illa pars dicatur res, cuius significatio est vel determinabilis, vel complebilis per aliam partem: illa verò è contra dicatur verba, quæ determinat, vel saltem complet determinationem alterius partis; si quæ sint verba in sacramentis, quorum significatio determinetur, vel saltem compleatur per alia verba, poterunt in sacramento, cuius sunt partes, habere rationem rerum, & dici res virtualiter: sicut è contra, si quæ sit res in sacramento, quæ determinet, vel saltem compleat significationem alterius, habebit rationem verbi, & dici poterit verbum virtualiter. Quia ergo in sacramento penitentiæ ita se res habet, confessio enim verbalis penitentis determinatur per absolutionem sacerdotis ad significandum remissionem peccatorum, idèò verba penitentis rectè, per comparationem ad verba sacerdotis, appellantur res sacramenti penitentiæ. Similiter in sacramento matrimonij, quamvis nutus & gestus contrahentium, ex quibus solis interdum constat, sint res quædam, quia tamen nutus unius contrahentium quoad significationem nutus alterius complent, liquidem ad exprimendum perfectè mutuam consensum sponsi & sponse, opus est utriusq; nutibus, aut alijs signis, rectè sub illa ratione, formali nutus unius, quatenus scilicet determinat & complent nutus alterius, dicuntur verba; sicut etiam quando idem sacramentum constat ex solis verbis contrahentium, verba illius quæ determinantur per verba alterius, habent rationem rerum & materiæ in tali sacramento.

101. Objicies secundò: In omnibus sacramentis significatio est forma illorum, cum omnia sint signa: Ergo non requiruntur verba, quæ habeant rationem formæ, subindeque falsum est omnia novæ legis sacramenta rebus & verbis constare.

102. Respondeo concessò Antecedente, negando Consequentiam: nam significatio est ultima forma totius sacramenti, quæ adæquatè inest toti composito ex rebus & verbis: cæterum in illo composito una pars comparata ad alteram habet se ut forma ad materiam: sicut in homine humana est forma totius hominis, & nihilominus anima in ordine ad corpus habet rationem formæ.

A Objicies tertio contra secundam conclusionem: Materia & forma debent esse simul in re, quæ ex ipsis componuntur: Sed in sacramentis novæ legis, res & verba non sunt, aut non necessariò debent esse simul: Ergo sacramenta novæ legis non componuntur ex rebus & verbis, quam ex materia & forma. Minor probatur, nam in sacramento baptismi res, scilicet ablutio, potest præcedere verba, & è contra verba possunt præcedere abluitionem.

Respondeo distinguendo Majorem: materia & forma in eis, quæ ex ipsis componuntur, debent esse simul, vel similitate physica, vel similitate morali, concedo Majorem. Similitate physica semper, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: In sacramentis novæ legis res & verba non sunt, aut non debent necessariò esse simul, similitate physica, concedo Minorem. Similitate morali, nego Minorem & Consequentiam.

Explicatur solutio: In omnibus, quæ ex materia & forma componuntur, non requiritur ut eodem modo materia & forma sint simul: nam in compositis substantialibus materiam & formam substantialem omnino simul esse oportet in alijs verò, præsertim in successivis & artificialibus, non omnimoda simulitas requiritur. Propositio enim componitur ex subiecto & prædicato tanquam ex materia & forma, quæ tamen non sunt simul, ita ut eodem temporis momento proferantur, sed quia immediate post subiectum sequitur prædicatum in propositione, in numero etiam quatuor annorum, quartus annus utpotè ultima unitas illius quaternarij, habet rationem formæ, ex qua tanquam ex forma, & alijs unitatibus, seu annis, tanquam ex materia, numerus ille componitur; & tamen solum dicuntur esse simul, quia una succedit alteri. Ita pariter inter materiam & formam sacramentorum sat est, ut sit moralis simulitas, conjunctio & propinquitas, nec inter illas requiritur simulitas & coniunctio physica. Cavenda tamen est nimia interpolatio: nam ut ait Soto in 4. dist. 3. qu. unicà ar. 8. Si tantum temporis intervallum interciperetur, ut secundum usum humanum forma & actio non essent simul, tunc nullum perficeretur sacramentum.

§. III.

Solvuntur argumenta, quæ militant contra tertiam conclusionem.

C Contra tertiam conclusionem, in qua diximus, quòd res & verba sunt partes intrinsecæ & essentielles sacramentorum, objicitur primò: Concilium Florentinum supra cit. tap. rù dicit quòd sacramenta novæ legis perficiuntur rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ, & personâ ministri efficientis sacramentum. Ubi primò notandum, quòd utitur verbo perficitur, non verò componitur, quo tamen propriè loquendo uti debuisset, si sacramenta novæ legis constent rebus & verbis tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus. Secundò quòd eodem modo loquatur de ministro, ac de rebus & verbis; & tamen certum est, quòd minister non est pars intrinsecæ & essentialis sacramenti. Ergo neq; verba. Præterea D. Thomas infra qu. 84. ar. 1. ad 2. vocat formam sacramenti penitentiæ complementum sacramenti: quod autem complet aliquid, jam ipsum factum supponit, & ut habens omnia sua essentialia: Ergo &c.

Respondeo quoad primum quòd dicitur de ministro

verbis Concilij Florentini, id eo verbo *perfectum* non verò componitur, uti debuisse, non obstante quod res & verba intrinsecè componantur sacramenta; quia non solum de rebus & verbis, sed etiam de persona ministri loquebatur, quam constat non esse partem intrinsecam sacramenti, licet ad illud necessariò requiratur. Quoad secundum, nego quod eodem modo loquatur de ministro, ac de rebus & verbis, dicit enim sacramenta perfici rebus & verbis tanquam materia & forma, ministro verò tanquam conficiente: sunt autem materia & forma de essentia rei, non verò causa efficiens, live conficiens. Ad locum D. Thomæ respondeo quod loquatur de complemento essentiali, intrinsecò; non verò de accidentali, & extrinsecò.

Obijciunt secundo: Si sacramentum rebus & verbis tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus constaret, non solum pro rebus, sed etiam pro verbis supponeret: At hoc dici nequit. Ergo nec illud. Minor est certa, concretum enim accidentale, quale est sacramentum, etiam physicè sumptum, supponit pro sola materia, ut habente formam. Major verò probatur, quia compositum physicum pro illis omnibus supponit, ex quibus essentialiter constat; ut patet in homine, qui supponit non solum pro corpore, quod est ejus materia, sed etiam pro anima.

Respondeo negando sequelam Majoris, & distinguendo ejus probationem: Compositum physicum pro illis supponit, ex quibus essentialiter constat: si sit substantiale, concedo: si sit compositum accidentale, ut sacramentum, nego. Ratio disparitatis est, quia in composito substantiali quælibet pars est de substantia ipsius: ac verò in composito accidentali, licet forma sit de ejus essentia, non tamen de ejus substantia, quod quidem non est quid substantiale, sed accidentale.

Obijciunt tertio: Quando aliquod unum essentialiter componitur, ex multis, nulla pars prædicatur de illo, sed tantum compositum ex his omnibus; unde istæ propositiones sunt falsæ, *homo est materia, homo est forma*. Sed in concretis accidentalibus, quale est sacramentum, pars prædicatur de ipso composito: verum enim est dicere, *albus est corpus*. Ergo concretum accidentale, subindeque sacramentum non componitur ex rebus & verbis, tanquam ex partibus essentialibus, sed solum res sunt in eis tota essentia physica.

Respondeo Majorem esse veram in compositis substantialibus, non verò in accidentalibus: Ratio verò disparitatis est, quia compositum substantiale non supponit præcisè pro aliqua ex suis partibus, bene tamen compositum accidentale, nimirum pro supposito, live materia, ut habente ipsam formam.

Obijciunt quartò cum Bellarmino, Suarez, Vazquez & alijs Recentioribus, specialiter de sacramento Eucharistiæ. Sacramentum permanens non potest ex rebus transeuntibus intrinsecè constitui: Sed Eucharistia est sacramentum permanens, verba autem consecrationis sunt quid transiens: Ergo sacramentum Eucharistiæ non potest ex verbis consecrationis intrinsecè constitui.

Ad hoc argumentum respondent aliqui, sacramentum Eucharistiæ in facto esse, secundum quam rationem est quid permanens, non constare ex verbis transeuntibus; cum hoc tamen stare, quod idem sacramentum, quantum ad su-

um fieri, constet intrinsecè, sicut alia, ex verbis, licet transeuntibus.

Sed melius responderetur, juxta doctrinam in tercia probatione statutam, distinguendo Majorem: sacramentum non potest ex rebus tam virtualiter, quam formaliter transeuntibus intrinsecè constitui, concedo. Ex rebus formaliter quidem transeuntibus, sed tamen virtualiter remanentibus, cujusmodi sunt verba consecrationis, in determinatione passiva specierum virtualiter remanentia, nego.

Si istes, ex hoc sequi quidem quod sacramentum Eucharistiæ intrinsecè componatur ex rebus & modis determinationis, sed non ex rebus & verbis. Respondeo negando Consequentiam, cum enim sacramentum componatur ex modis illis, in quantum sunt virtutes verborum, cum proprietate dicitur absolute componi ex verbis; sicut ob similem rationem, cum proprietate dicitur mixtum componi ex elementis, licet virtualiter solum remanentibus in eo.

Obijciunt ultimò: Ex nostra sententia sequuntur duo absurda & implicantia: sequitur enim primò causam efficientem esse partem intrinsecam, & de essentia sui effectus; quando quidem verba consecrationis sunt causa efficiens sacramenti Eucharistiæ, ut expressè determinavit Eugenius IV. in Decreto unionis, alique communiter Theologi docent. Secundò sequitur unam numerò formam posse esse intrinsecam compositis numerò diversis: sacramentum enim Eucharistiæ multiplex numerò, unicà formà verborum consecrari potest, ut cum super plures hostias simul & semel tantum profertur verba consecrationis.

Respondeo negando utramque sequelam. Ad probationem verò prioris, eam distinguo. Verba consecrationis sunt causa efficiens sacramenti Eucharistiæ, præcisè quoad suam materiam proximam sumpti, videlicet quoad species consecratas, concedo. Sumpti adæquatè pro toto physico allumpto ad significandum sensibilibiter præsentiam Corporis & sanguinis Christi sub speciebus consecratis, nego. Ita que sacramentum Eucharistiæ physicè sumptum, potest considerari dupliciter: nimirum vel inadæquatè, videlicet præcisè pro materia proxima quæ constat, scilicet pro speciebus panis & vini, ut continentibus sanguinem & Corpus Christi: vel adæquatè, pro toto physico quod sensibilibiter & perfectè significat talem continentiam. Priori modo sumptum habet pro sua causa efficiente verba consecrationis: posteriori verò modo sumptum, habet eadem verba pro forma sibi intrinseca & essentiali: Christus enim non assumptus in signum sensibile & perfectum præsentia sui Corporis & sanguinis, ipsas duntaxat species ut consecratas, sed insuper ut determinatas & completas, complemento essentiali, per ipsa verba ad talem significationem.

Ad probationem verò sequelæ posterioris dico quod sicut quando plures baptizantur simul, sub unica forma & prolatione verborum, *Ego vos baptizo, &c.* illa forma, licet formaliter una, virtualiter tamen tam multiplex est, quam multi sunt qui baptizantur: ita quando plures hostiæ consecrantur simul unica formà illa forma, licet formaliter una, est tamen virtualiter tam multiplex, quam multæ sunt hostiæ.

Si istes, formam numero eandem formaliter, licet virtualiter multiplicem, non posse esse

in compositis diversis numero. Respondeo cum distinctione: non potest esse formaliter in pluribus numero compositis, concedo. Esse virtualiter, nego. Sufficit autem ad hoc quod modi illi determinationis hostiarum ad significandum presentiam corporis & sanguinis Christi, quos in singulis producit, multiplicentur formaliter, juxta multipliciter hostiarum.

ARTICULUS VIII.

Utrum in Sacramento requirantur determinata verba, subindeque illa non sint concionatoria, sed consecratoria?

Dico primo: Multo magis requiri determinata verba in Sacramento, quam res determinatas. Ita D. Thomas hic art. 7.

118. Probatur primo: quia Christus in consecratione Eucharistiae protulit determinata verba, ut habetur Matth. 26. *Hoc est corpus meum*. Et similiter praecepit Discipulis ut baptizarent sub determinata forma verborum, juxta illud Matthaei ultimo: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

119. Probatur secundo ratione D. Thomae: Magis requiritur in aliquo composito determinatio formae, quam materiae, quia principium determinationis est a forma, quae est veluti finis & terminus materiae, cujus determinatio requiritur propter formam: Sed verba habent rationem formae in Sacramento; res autem rationem materiae, ut art. praecedenti ostensum est: Ergo magis requiruntur in Sacramento determinata verba, quam determinata res.

120. Advertendum tamen est duobus modis posse intelligi verba sacramentalia esse determinata, scilicet materialiter, quoad sonum exteriorem, & formaliter, quoad significationem: certum autem est ea non debere esse determinata primo modo, alias non possent administrari sacramenta, nisi in ea lingua, qua Christus loquebatur, dum ipsa instituit, quod est absurdum. Debent ergo esse determinata solum formaliter, quoad significationem; unde valide conficiuntur sacramenta per verba cujuscunque idiomatis, dummodo apud illos, qui tali idiomate loquuntur, correspondeant verbis illius idiomatis, quo Christus usus est & idem significant. Imò addo, quod quia in quolibet idiomate varijs terminis & orationibus solet idem significari, valide ministrantur sacramenta in verbis aequivalentibus, & eundem sensum reddentibus. Unde validum esset poenitentiae Sacramentum, si in hac forma, *Ego te absolvo*, sed etiam in ista: *Ego remitto tibi peccata tua*. Et similiter baptizamus, si diceretur: *Ego te abluo*, *Ego te tingo*, quia haec verba aequivalent illis, in quibus solent haec sacramenta ministrari. Non licet tamen uti verbis aequivalentibus, nisi in casu necessitatis, aut quo Ecclesia id permittit: unde non licet sacramenta conficere verbis linguae vulgaris, excepto sacramento matrimonij, quod verbis linguae propriae in qualibet provincia conficitur, quia contrahentes, qui illud conficiunt, regulariter linguam latinam ignorant; excepto etiam sacramento baptismi, quando urgente necessitate ministratur a foemina, vel a viro laico, nesciente loqui, nisi lingua vulgari.

Dico secundo: Verba requisita in sacramentis novae legis esse consecratoria, seu virtute

divina facientia quod significant, non vero potest concionatoria, & solum ad instruendum fidelium ordinata. Ita communiter docent Theologi contra Lutherum, Calvinum, & alios hujus temporis haereticos.

Probatur primo ex Apostolo 1. ad Corin. 10. ubi verba, quibus consecratur Eucharistia, non instructionis, sed benedictionis vocat: *Calix* (inquit) *benedictionis, cui benedicimus, non communicatio sanguinis Christi est? Quem loquuntur, dicentes panem & calicem consecrati, sanctificari, benedici, nullam omnino instructionis facientes mentionem*. Unde S. Thomas ibi lect. 4. sic ait, *Calix benedictionis cui benedicimus, id est quem nos sacerdotes consecramus*.

Probatur secundo: Infantibus confertur Baptismus qui concionem non intelligunt, & in casu necessitatis baptizat mulier, quae idonea non est ad concionandum, praecipiente Apostolo, quod *mulier in Ecclesia doceat*: Ergo verba sacramenti baptismi non sunt concionatoria, sed consecratoria.

Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Verba consecratoria, seu exhortatoria ordinantur ad excitandam fidem & devotionem altissimi: Sed haec verba, *Ego te baptizo*, non ordinantur ad excitandam fidem vel attentionem instantibus; licet enim omnes astantes dormirent, revera puer baptizaretur; neque in ipso puero, cum sit expertus usus rationis; alioquin peccaret, ejulatu & motibus sacramentum recusans, ut discit Augustinus epist. 57. ad Dardanium.

Denique suaderi potest conclusio ex distinctione praecedenti, nam ut in ea ostendimus, requiruntur verba determinata, siue quibus non conficitur sacramentum: At verba consecratoria non sunt ita determinata, nec necessaria ad valorem sacramenti: Ergo verba requisita in sacramentis novae legis non sunt concionatoria, sed consecratoria, & efficientia id quod significant.

Obijciunt tamen Haeretici: Christus misit Apostolos ad praedicandum, praecepit eis docere omnes gentes, baptizantes &c. Ergo verba sacramentorum sunt doctrinalia & concionatoria. Unde Augustinus citatus ait, verbum quod est in baptismo, esse illud, quod praedicamus, & verbum non quod dicitur, sed quod creditur.

Respondeo Christum praecipere modum, quem Apostoli observare debebant in conversione infidelium adultorum, ut scilicet eos docerent, priusquam baptizarent: sed quia modo pueri ante usum rationis baptizantur, parentibus consentientibus, non est nunc necessaria ad baptismum haec doctrina. Idem fere dicendum est ad Augustinum, verum enim est, quod ad baptismum adultorum praerequiratur verbum concionatorium, ut instruantur, sed magis opus est verbo consecratorio, ut sanctificentur.

ARTICULUS IX.

Quae mutatio ex parte materiae, vel formae reddat Sacramentum invalidum?

QUAE de variatione materiae & formae sacramentorum disputant hic Theologi cum D. Thoma art. 8. facilia sunt, & magis ad causam conscientiae, quam ad scholasticas difficultates pertinent, ideoque breviter ab illis nos expediemus.

Dico

Dico igitur, mutationem essentiali-
17. riam, aut formam, reddere sacramentum invali-
dum, non verò accidentalem. Ita D. Thomas hic
art. 8.

Probatur breviter: Sacramentum non potest
stare sine suis partibus essentialibus & intrinse-
cis: Sed materia & forma sunt partes essentialis
& intrinsecae ex quibus sacramentum componi-
tur: Ergo mutatio essentialis materiae vel for-
mae reddit sacramentum invalidum.

18. Probatur secundò specialiter quantum ad
formam sacramentorum: Sicut enim res natura-
les consistere nequeunt sine forma, ita nec res ar-
tificiales eadem perseverant, si amittant for-
mam, quia constituuntur in genere artis: Sed sa-
cramenta sunt veluti quaedam entia & composita
artificialia, ac infinita Christi sapientia exco-
gnata & fabricata: Ergo sublati ipsorum for-
mis, consistere nequeunt. Sicut autem in natura-
libus & artificialibus, salva essentia rerum, va-
riantur posita accidentia, vel quae ad integritate-
m, vel quae ad decorem pertinent: ita pariter
in sacramentis potest esse (invariata essentiali-
ter materia & forma) a Christo Domino institu-
ta aliqua variatio quae non tollat seu destruat
essentiam sacramenti. Ex quo

19. Inferes primò, quòd si loco panis triticej, qui
est materia sacramenti Eucharistiae, alius ex alia
materia confectus, puta ex ordeo, apponatur
alibi sacrificio, non conficitur sacramentum,
quia materia mutatur essentialiter: secus verò si
panis triticeo admisceantur pauca grana ordei,
vel alterius speciei, quae non solvant nec mul-
tum corrumpunt panem triticeum, quia muta-
tio quae tunc fit ex parte materiae, est tantum ac-
cidentalis. Idem cum proportionem dicendum de
aceto & multo, cum enim acetum essentialiter
differt à vino, quòd Christus pro materia cali-
cis instituit, multum verò accidentaliter tantum
ab eo dilinguatur; sacerdos qui poneret ac-
cetum in calice, non consecraret, bene tamen qui
poneret multum. Item qui baptizaret in aqua
rosacea, aut alia simili, non conficeret sacramen-
tum, bene tamen qui in aqua calida baptizaret;
quia in primo casu mutatio ex parte materiae
est essentialis, in secundò verò solum acciden-
talis.

20. Inferes secundò, quòd si additio facta formis
sacramentalibus non mutet legitimum sensum
ipsarum, sacramenta erunt valida, quia salvabi-
tur ratio formalis sacramenti, quae in significa-
tione consistit: unde validus esset baptismus in
hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris omni-
potentis, & Filij unigeniti, & Spiritus Sancti Para-
clesti*. Et idem cum proportionem dic de diminutio-
ne: unde validè consecraret hostiam, qui solum
diceret, *Hoc est corpus meum*, omitendo enim.

21. Inferes tertio, quòd si aliquis Sacerdos ver-
ba sacramentalia corruptè proferat, vel ex in-
dustria, vel ex imperitia, vel ex balbutie, aut la-
psum linguae: si corruptio sit tanta ut auferat o-
mnino locutionis sensum, non conficitur sacra-
mentum: si verò sit talis quae sensum verborum
non tollat, non redditur invalidum sacramen-
tum: quia in primo casu, mutatio se tenens ex
parte formae est essentialis, in secundò duntaxat
accidentaliter. Licet autem satis difficile sit co-
gnoscere quandoque corruptio sit tanta, ut mu-
tet omnino sensum, assignatur tamen à D. Tho-
ma hic art. 7. haec regula: si mutatio se teneat
ex parte principij dictionis, regulariter varia-

A tur sensus, ut si loco, *In nomine Patris*, dicatur, *In
nomine matris*. Et ratio est, quia variatio dictionis
ex parte principij, regulariter mutat significa-
tationem. Si verò mutatio sit ex parte finis dictionis,
sensus regulariter manet idem, quia variatio
dictionis ex parte finis, non mutat ut plurimum
ejus significationem. Unde validus esset bap-
tismus, si ex ignorantia vel errore fieret in hac
verborum forma: *Ego te baptizo in nomine Patris,
Filij, & Spiritus Sanctus*, ut definiit Zacharias
Papa in cap. *Retulerunt*, de consecrat. dist. 4. Li-
cet enim verba sic prolata, ex vi impositionis,
nihil significant, tamen ex usus accommodatione
acciperentur ut idem significantia, ac *Patris,
B Filij, & Spiritus Sancti*. Addit tamen S. Doctor,
posse aliquando contingere ut mutatio esset
tanta ex parte finis dictionis, ut non relinqueret
eundem orationis sensum, & tam parva ex parte
principij, ut sensum non tolleretur; atque ita ma-
ximè hoc considerandum esse, & judicio viri
prudenter relinquendum.

Inferes quartò, quòd si tanta fiat interruptio
in prolatione verborum, ut moraliter & secun-
dum communem usum hominum, non conse-
cetur idem tractus sermonis, sacramentum non e-
rit validum, secus si consecratur idem tractus ser-
monis. Ratio est, quia in priori casu non manet
C sensus formae integer, qui in tota oratione confi-
sit, bene tamen in posteriori. Quanta verò in-
terruptio sufficiat, ut non consecratur eadem mo-
raliter oratio, non potest certa regula definiri,
sed ex modo, duratione, & aliis circumstantiis
judicandum est, juxta viri prudentis arbitrium.
Hoc solum tanquam certum statui potest, quòd
quando discontinuatio fit inter duas syllabas e-
jusdem dictionis, minor duratio tollit sensum
verborum, quàm cum fit inter duas dictiones,
quia in primo casu, maximè interruptitur sen-
sus.

Quæres, an minister ex intentione inducendi
novum ritum, etiam reprobatur ab Ecclesia,
proferens verba sacramentalia, additione, di-
minutione, aut quovis alio modo non tollente
legitimum sensum, mutata, verum conficiat sa-
cramentum, si habeat voluntatem faciendi
quòd facit vera Ecclesia?

Respondeo affirmativè: Si enim Sacerdos
Latinus consecrat in Ecclesia Latina in fer-
mentato, cum intentione hunc ritum in Eccle-
siam Latinam inducendi, verum conficit Sacra-
mentum, ut fatentur fere omnes Theologi; &
tamen Ecclesia apud Græcos duntaxat, non ve-
rò apud Latinos tolerat, sed execratur tales ri-
tus: Ergo licet minister sacramentorum variet
accidentaliter materiam vel formam sacramen-
ti, in ritu ab Ecclesia non tolerato, & tamen ha-
beat generaliter intentionem faciendi quòd
praestat vera Ecclesia, in usu talis materiae &
formae, verum conficit sacramentum.

Dices, Qui habet intentionem intentioni Ec-
clesiae contrariam, non habet intentionem Ec-
clesiae: Sed eo ipso præcisè quòd minister in-
tendat introducere suum errorem in Ecclesiam,
habet intentionem Ecclesiae intentioni contra-
riam, utpote cum intendat Ecclesia excludere
huiusmodi errorem: Ergo eo ipso præcisè quòd
minister intendat introducere suum errorem in
Ecclesiam, non potest simul intendere quòd in-
tendit Ecclesia.

Respondeo distinguendo Majorem: Qui ha-
bet intentionem intentioni Ecclesiae formaliter

D

COM-

contrariam, non habet intentionem Ecclesie, concedo. Qui habet intentionem, Ecclesia intentioni materialiter solum contrariam, nego. Similiter distinguo Minorem: eo ipso precise quod minister intendat suum errorem introducere in Ecclesiam, habet intentionem, Ecclesie intentioni materialiter tantum contrariam, concedo Minorem, Contrariam etiam formaliter, nego Minorem, & Consequentiam.

137. Explicatur solutio: Intentio privata ministeri introducendi in Ecclesiam aliquem errorem, siue toleratum, siue non toleratum ab ea, potest dupliciter esse contraria generali intentioni Ecclesie, nimirum vel materialiter tantum, vel etiam formaliter: materialiter tantum, si volens suum errorem introducere non credat eum esse errorem, sed veritatem, atque adeo non intendat ipsum introducere tanquam errorem, sed tanquam veritatem: formaliter vero privata illa intentio est contraria generali Ecclesie intentioni, si volens suum privatum errorem in eam introducere, non existimet ipsum esse veritatem, sed errorem: licet autem habens istam posteriorem intentionem, non possit simul habere intentionem generalem Ecclesie, bene tamen qui illam priorem duntaxat habet, eo ipso enim quod existimans suum errorem privatum, non esse errorem, sed veritatem, velit ipsum introducere, non existimat eum esse contrarium Ecclesie, sed potius ab ea intentum, quia existimat veram Ecclesiam veritatem intendere: quia ergo hoc ita potest contingere, imo communiter ita contingit (hæretici enim volentes introducere suos errores in Ecclesiam, existimant illos non esse errores, sed veritates, licet de facto errores sint) hinc fit quod licet eorum intentio sit materialiter contraria intentioni generali Ecclesie, quæ errare non potest, non tamen formaliter.

138. Instabis: Ut minister in dicto casu habeat generalem intentionem Ecclesie, necesse est quod intendat, saltem virtualiter, oppositum suo errori: Sed intendens introducere suum privatum errorem in Ecclesiam, non intendit, etiam virtualiter, oppositum suo errori: Ergo neque habet intentionem generalem Ecclesie. Major conitatur, cum enim Ecclesia vera intendat oppositum errori privato ministeri, nisi minister, saltem virtualiter, id ipsum intendat, non potest dici habere intentionem generalem Ecclesie veræ. Minor vero probatur: Cum intentione formalis alicujus, non stat intentio virtualis oppositi: quis enim dicat, quod aliquis possit simul intendere esse secundum eandem partem, & eodem tempore calidus & frigidus? Sed minister in casu posito intendit formaliter suum errorem: Ergo non habet simul intentionem virtuales oppositi suo errori.

139. Respondeo negando Minorem, & ad ejus probationem, datâ Majori, distinguo Minorem: minister in casu posito intendit formaliter suum errorem, reduplicativè ut errorem, nego. Non ut errorem, sed ut veritatem, concedo. Similiter distinguo Consequens: Ergo non habet simul intentionem virtuales oppositi suo errori, ut errori, nego. Ut non existimato tali, concedo.

DISPUTATIO II.

De existentia Sacramentorum.

Ad questionem 61. Divi Thomæ.

Quamvis juxta ordinem doctrinæ ab Aristotele, post assignatum, de quacunque re prius inquirendum sit, an existat, deinde quid sit, ac proinde videatur D. Thomæ & nos post ipsum, prius investigare debuisse, an existat sacramentum, quam quid sit sacramentum: quia tamen antequam ostenderetur sacramenta esse, necesse erat exactè intelligi nomen sacramenti significetur; significatio autem hujus nominis tam est conjuncta cum essentia & proprietate ipsius rei significatæ, ut ejus cognitio, non possit perfectè haberi, nisi doctriinæ aliquantulum inverteatur, prius quid sit sacramentum, quam an sit inquirendum. Cum autem sacramenta fuerint instituta, atque adeo existant propter hominem: homo autem considerari possit vel ante Christi adventum nimirum in statu innocentie, in statu legis veteris, & in statu legis scriptæ, sive Mosaicæ, & post Christi adventum, seu in lege nova & evangelica, existentia seu necessitas sacramentorum, quoad omnes illos statum, investiganda est.

Sed prius supponendum est cum S. Thomæ hic art. 1. sacramenta esse homini necessaria ad salutem, ob triplicem rationem. Prima patet ex conditione humanæ naturæ: Ea enim est natura humana conditio, ut ex cognitione sensibilibus assurgat in notitiam rerum spiritualium. Atqui sacramenta sunt quedam signa sensibilia & corporalia, quibus homines adducuntur in notitiam rerum spiritualium: Ergo congruum est ut pro eruditione sacramenta instituantur. Secundam sumit ex humilitatione quæ per sacramenta homini feliciter contingit: Homo enim peccando, & consequenter converendo se in corporalia & sensibilia, tanquam in ultimam finem, subijcit se secundum affectum corporibus: Ergo congruum fuit, ut in penam limitis remedium, subijceretur sacramentis, quæ sunt quedam sensibilia, ut unde morbum contraxerat, inde medicinam reciperet. Tertiam deinde ab exercitatione utilit, ne exim homini ad exercitationes corporales interdum sibi noxas de proclivi, durum esset, si totaliter ab actionibus corporalibus abstraheretur, conveniret Deus instituit sacramenta sensibilia, quibus homo salubriter exerceretur.

Has tres rationes eleganter expendit Hugo Victorinus lib. 1. de sacramentis parte 9. cap. 1. sed aliâ serie, ait enim sacramenta esse homini necessaria, Propter humilitationem, propter eruditionem, propter exercitationem. Primo quidem, ut dum in sensibilibus alimentis rationalis creatura Creatoris præcepto subijcitur, ex hac ipsa humilitatione, Creatoris suo reconciliari mereatur: post prius Deum superbiendo deserens, se terrenis per concupiscentiam subdit, &c. Secundo, ut per id quod in sacramento specie visibili cernitur, ad invisibilem virtutem quæ intus in re sacramenti coaptatur, erudiamur, mens humana erudiat, &c. Tertio, ut dum